



6
12 C
56

IACOBI PINONIS
SENAT. PARIS.

DE ANNO ROMANO

 CARMEN.

Cum annotationibus ad rem pertinentibus, quibus multa continentur, quæ neque lex carminis, neque poëmatis vsus satis explicare potuit: maximè quæ de Gregoriana anni emendatione, cyclo paschali, epactis, numero aureo, indictione, & cyclo solari scripta sunt.



Ad LVDOVICVM XIII. *Franciæ & Nauarræ Regem Christianissimum.*








PARISIIS,
Apud IOANN. LIBERT, via Diui Ioannis Lateranensis è regione Auditorij Regij.

M. DC. XV.



AD LVDOVICVM REGEM CHRISTIANISSIMVM.

HEnriade, proles Diuûm certiſſima, ſortem
  Qui meritis ſuperas, ingenióque dies.
Accipe Muſarum ſacris de fontibus, artes
  Aetas prima ſinit dum colere ingenuas.
Nulla tibi hîc falſa deludet imagine mentem
  Fabula, vel tenerum frangere docta animum.
Seria amant Muſæ, quamuis ceu ludicra cantent,
  Seria Caſtalijs ſunt mage digna modis.
Te quoque digna magis ſunt principe, cura virilis
  Cui dat maturi ſymbola iudicij.
Hîc tibi vertentis ratio ſubducitur anni:
  Quoque ſimul redeant lumina magna modo.
Ciuilemque annum cœli ignoratio fecit
  Vt varium priſcis iſta tabella refert.
Nec Graiûm Latiûmque frequens cenſura potis ſit
  Rem tantam numeris abſoluiſſe ſuis.
Narrat vti tropicis ciuilia tempora punctis
  Iam iam longe aberant, diſtulerantque vices.
Tardaque poſteritas iterum viſura fuiſſet
  Autumno brumam, ver gelidáque hieme.
Vt tandem Deus hanc noſtro labem abſtulit æuo:



Veraque perpetuis lex data temporibus.
Lex adamantæis inſculpi digna columnis:
Et Phœbi æterno carmine digna cani.
Sed vates ſiluere tamen: ſilet almus Apollo:
Muſarum totus conticuitque chorus.
Remque ego difficilem numeris aggreſſus iniquis,
Extimui, nec mens edere noſtra fuit:
Iſtaque bis ſeptem latuit neglecta per annos
Pagina, dum ventis Rex dare vela iubes.
Ergo meam Neptune ratem duc æquor in altum:
Et vehat ad portus numinis aura tui.
Charta mihi hæc duplici conſcripta ſub omine fau-
Henrici auſpicijs, & Lodoïce tuis: (ſto eſt.
Nam tum pro patrijs fundebam vota hymenæis:
Dijque darent ortus accelerare tuos:
Obtinuere preces. Reliquis Deus annue votis.
Rexque ſuo ſubdat Turcica colla iugo.
Pacatumque regat patrijs virtutibus orbem:
Vnius & fidei fœdere cuncta liget.



IACOBI PINONIS SENAT. PARIS.

De Anno Romano.



Nni quæ fuerit ratio, quæ forma modusq;
Antiquis, & quam varius fuit hactenus vsus,
Fert animus cecinisse. At vos ignoscite vati,
Ardua dum Musis peragro loca, forte nec ante
Pierijs tentata modis, si dicere versus
Incomptos res ipsa iubet, contenta doceri.
1. *Principium Deus æternus quùm luce creata*
Temporibus dedit & rebus, sic lumina cœlo
Disposuit, signa vt fierent: certisque notarent
Syderibus, spatijsque annos, mensesque diésque.
Et quia sol totidem dimensum partibus orbem
Sydera per duodena regit, totumque pererrat:
Atque eadem rursum semper vestigia signat:
Id spatium veteres annum dixere. Quod ipsa
Vox (am) 2. prisca sonat circùm: quia voluitur annus

In se, iteratque viam sua per vestigia semper:
Serpentisque suam mordentis imagine caudam
Pingitur. hinc menses illi tribuere tot orbe
Phœbus in obliquo quot signa micantia lustrat.
Plebs ignara tamen cœli (quæ maxima turba est)
Menstrua dum falsò credit spatia esse Dianæ,
Lunares fecit menses & mensibus annum
Bis senis statuit: turbatáque tempora dudum
Experta est. Hoc Aethiopes errore Syrique
Decepti, Persæ atque Arabes, Chaldæus, & ipsi
Hebræi, Græci, Latij, Aegyptusque perusta
Temporibus primis, quamuis gens dedita cœlo,
3. *Testantur sacris descripta Hieroglypha chartis,*
Depictus quibus est annus sub imagine palmæ:
Sola ex arboribus bis senos edere ramos
Quæ solet in totidem lunæ congreßibus æquis.
Nec leuis ille error fuerat 4. *Sol quippe diebus*
Non nisi ter centum & sexcenis quinque perambit
Orbem signiferum, & ferme quadrante diei.
5. *Ast illum septem & bis denis atque triente*
Delia percurrit. lumen tamen illa quod ipso
A Phœbo capit, atque ab eo lustrata recedit:
Nec peragrasse orbem satis est, nisi pergat ad ipsum,
Iam prope deficiens authorem luminis, atque
Congrediens solitos germani acceperit ignes:
Quod nisi bis denis nequit exantlare diebus

Atque nouem cum dimidio: quia Phœbus in orbem
Vertitur intereà quoque, ſed non paßibus æquis:
Bis denos ideo aſtronomi tribuere nouemque
Dimidiumque dies huius decurſibus aſtri.
Queis horæ fragmenta etiam adiecere deinde.
6. *Hinc patet ex lunæ duodenis curſibus annum*
Tercentum & nouies ſenis prodire diebus
Communem, ſoliſque viam præcurrere longè.
Nempe diebus abeſt octo & tribus atque quadrante
Circiter. Vnde annus toties turbatus & vſque
Deformis, morem hunc populos mutare coëgit.
His tamen à veteri penitus diſcedere ritu
Relligio fuit, & lunares protinus annos
Deſeruiſſe pudor: Sed certis addere menſes
Annis conſtituunt, ſpatia vt non æqua rependant.
7. *Hebræi hoc primi faciunt: qui frugibus ante*
Collectis, quùm luna nouum producere cornu
Incipit, exoriturque ſuo cum menſe, calendis
Septembris (Tizri Neomenia dicitur illis)
Vulgarem incipiunt annum, feſtumque tubarum
Concelebrant, agitantque ſimul conuiuia læta:
8. *Quod mundi illa dies fuerit natalis, & anni.*
Inde alij ſubeunt menſes, redeuntque quotannis:
Incipiunt, peraguntque ſuo cum ſydere curſum.
Sed quia dimidiata dies quæ perficit orbem
Lunarem, haud menſis potuit ſub calce locari

Apposité, fuit hic magnus vitandus hiatus.
Alternos igitur menses prodire diebus
Instituunt, hunc terdenis, illumque, sed vno
Dempto: sicque cauos celebrant plenosque vicissim,
Mensibus vt binis bis Delia compleat orbem.
Et facili vt ratione dehinc spatia annua Soli
Congruerent: Veadar februum instituere secundum
Qui certis spatijs sic progrederetur, vt istam
Cursus inæqualis posset cumulare lacunam:
Lunarémque annum solari clauderet orbe.
9. *At Graijs quoniam Elæis certamina campis*
Ludicra cingebant victricia tempora oliua
Actis solstitijs quatuor, confictus ab illis
Annorum totidem cyclus quo luna rediret
In gyrum, & Soli oppositos ostenderet ignes,
Ipsius in medio mensis quo cœperat annus.
Sed cycli modus à Solis rationibus ille
Longè aberat, breuior bis septem nempe diebus
Lunarum septem hebdomadis qui clauderet orbem.
10. *Harpalus ergo duas cyclo coniungere in vno*
Tentat olympiadas, mensémque his insuper addit
Embolimum, tanquam hæc fuerit iunctura duorum
Dissidij: Sed lunæ epochæ dum fixus inhæret,
Produxit gemina Phœbæa octennia luce:
Nec iusta assequitur tamen interualla Dianæ:
Ast illa exuperat duodenis circiter horis.

Haud leuis vnde error seros patefactus in annos.
Hic tum Græcorum captus fuit: vsque dudum
Haud alia est anni forma tum Græcia, donec
11. *Huicce Meto occurrit vitio, in meliusq; redegit.*
Insignis fuit ille opifex, & clarus Athenis
Arte mathematica, populoque analemma dicauit.
Quo Lunæ & Solis reuolutis orbibus orbes,
Descripsit radio, & cyclum diuisit in annos
Bis quinque atque nouem, spatio quo credit vtrumq;
Sydus idem ad punctum cœli remeare, suosque
Incipere amfractus vnà, postquam aureus actis
Phœbus equis deciesnouies spatia annua clausit.
Vtque simul coëant, totidem lunaribus annis
Septem interiectos menses intexuit aptis
Appositisque locis, tricenûm quemque dierum
Prætereàque dies quatuor, licet vltimus esset
Sex horis breuior vel circà: & duxit habendum
Pro nihilò hoc spatium: sed quod tamen altera sensit
Aetas: Nam seclo patuit productior æra
Exacto: Phœbusque suum præuerterat orbem,
Atque die plusquam solido tardauerat annus.
12. *Sed mox errorem hunc facili ratione Calippus*
Correxit, cyclumque nouum confecit eadem
Arte, nouemdenis cyclis ex quattuor, atque
Ex annis decies septem senisque peregit:
Abrasitque diem ex illis pro tubere tanto.

Sed tamen vsque adeò hic cyclus perfectus haberi
Haud potuit, quin non etiam peccaret, & æuo
Id notum fieret. 13. *Nam post duo secla notauit*
Hipparchus, coitus lunæ solisque meatus
Dum seruat, spatio hoc iam præuertisse priorem
Horis sedenis epocham: sic deinde futurum
Annis vt solida præcurrat luce trecentis.
Inde anno plenos vltrà superesse diei
Quadrantem negat integrum: sed fracta deesse
Momenta affirmat, seclis minuenda futuris.
Ergo nouum tribus ex seclis & quattuor annis
Cyclum constituit, geminans quater acta Calippi
Tempora, totque diem solidum detraxit ab annis:
Vncia quæ pene est horæ abijcienda quotannis.
14. *Nunc Latio antiquo, Romanisque annua forma*
Quæ fuerit, tu Musa doce, atque incerta recide.
Fenestella Macerque putant statuisse Quirinum
Bis senos menses. Verum hæc sententia pridem
Explosa est, atq; hanc veterum monimenta refellunt.
Albanis ergo vt patribus, sic ille Quirino
Bis quinûm mensum numerus fuit: isque diebus
Tercentum & quatuor constans: vnde æqua negata
Sors fuit, & quatuor tantum potuere mereri
Tricenos vnumque dies. Sibi Martius illos
Maius, Quintilisque, October denique mensis,
Obtinuere: alijs terdenûm quæque fuit sors.

Horum à Marte prior nomen genitore Quirini
Accepit, siue omen erat quod martia quondam
Gens foret, & totum bello sibi subderet orbem.
A Venere Aprilis quæ dicitur Aphrodite
Dictus, vel quia iam tum frugibus apta creandis
Terra aperit gremium, & fœcundos suscipit imbres.
Maiores natu Maio imposuisse feruntur
Nomen, Mercurij genitrix seu Maia Latinis
Antiquis exculta, illo venerataque mense.
Sic etiam à iuuenum deducto nomine nomen
Iunius; vt perhibent, sumpsit: vel mense quod isto
Iunoni Argiuæ sacri celebrentur honores.
Ordo alijs nomen dederat, cunctisque remansit:
Quintilem donec mutato nomine Cæsar
Iulius edixit Iulî de nomine dici.
Sextilemque etiam non inferiora sequutus
Augustus dici Augusti de nomine sanxit.
Sed neque solari lunariue orbibus ille
Annus congruerat. Binos ergo addidit illi
Pompilius menses. 15. Ianum Februumque locando
Anni principio. Sedes quæ prima dicata est
Ritè sub auspicijs Iani: quia Ianus habetur
Bifrons, à tergo aspiciens quæ contulit ætas
Præterita, aduersis oculis venturaque cernens.
Hunc Ianum fama est Latio regnasse superbo
Saturnumque sui percusso fœdere regni

Consortem fecisse, suus qui pulsus ab oris
Ab Ioue tum fuerat: verùm vt iustißimus ille
Gentibus est habitus: sic prudentißimus alta
Pace regens populos, componere prima secundis
Assuerat: caussas rerum euentusque sequutos
Quærere, & ex actis rebus prænosse futuras.
Dictus ob id Ianus bifrons: bifrontis & illi
Effigies belli templis, atque arcubus vrbis.
Sic mensis prior à Iano cognomina traxit:
Quod finem èxacti pertingat prouidus anni
Principiumque noui teneat, videátque futuri
Semper, siue aperit limen, quia ianitor, anni.
Sic Februus februo dictus de nomine mensis:
Prisca voce sonans quidquid purgatue piatue
Præcipuè at februum calidum sal denotat illis.
Scilicet hoc quondam lustrari Roma solebat
Mense, illo & nudi peragebant sacra Luperci
Arcadico Pani calido sale dona ferentes.
Mensibus his lunæ vt duodenis cursibus annus
Constaret, quinquagenas superaddidit illi
Pompilius luces. Sed cum satis esse duobus
Mensibus haud possent, paribus de mensibus vnum
Detraxit, tribuitque nouis, numerumque repleuit
Tercentum & nouies senis. Tum iussus vterque
Octo & vicenis tantum constare diebus.
Nec stetit hoc pridem. Nam Ianus maior, & auctus

Vna luce fuit quam relligione deorum
Adiecit, ne non annus numeri imparis esset.
Parque vnus februus non æqua sorte remansit.
16. Hunc reges tenuere annum, & Respublica, donec
Accepta à Græcis Solis ratione Decemuir
Cum legum tabulis, vndenos addidit anno
Cum quadrante dies: quos non celebrare quotannis,
Sistere sed iussit, geminatósque ire biennes:
Atque illos Februo necdum tribuere peracto.
Sic factum alternis vt Mercedonius annis
Mensis prodiret, modò qui ter quinque dierum
Septenûmque foret, modò ter septem atque duorum
Per duo lustra 17. quater gradiens: cursuque bilustri
Delia cum Phœbo puncto remearet eodem.
Sed frustrà; Nam cui fuerat data cura sacerdos
Fastorum, non aduertit superasse quotannis
Lucem illam, Numa rex quam relligionis honore
Imparis & numeri addiderat, diuísque sacrarat.
Sex ergo elapsis lustris, quia tempora metas
Bis denis quatuorque vident transisse diebus:
Ex anno totidem tria post octennia quæque
Ex incrementis tollunt, numerumque reducunt.
Hic cyclus quamquam haud spiris lunaribus æquus
Sesquidieque minor, Solis tamen vltima fermè
Claudebat spatia, & minimùm produxerat illa:
Sed quia pontifices, anni queis cura dabatur,

Augebant persæpe dies, persæpe secabant
Ad libitum, specie sub relligionis auitæ:
Siue magistratus odio vel amore gerentum
Annua queis humeros velabat purpura, siue
Sordibus & quæstu id facerent, per secula creuit
Error paulatim serpens huc vsque pudendus,
Vt Romæ ferueret hyems, algesceret æstas.
Ergo emendandus rursum fuit annus, & vni
Non populo lex danda: At cunctis partibus orbis.
Hoc opus egregium Cæsar dictator 18. adortus,
Haud cœli ignarus, 19. quippe à sapientibus olim
Aegypti, solisque vias & sydera doctus
Quo signo inciperent agitata tumescere Nili
Aequora, quo primùm puncto inturgere quotannis,
Hoc illis anni caput auspiciumque notarat.
Nimirum se se primo cum Sirius ortu
Exerit, & torret non sana canicula messes:
Dumque pererrato hoc sydus remeauerit orbe:
Annuus his durat tantumdem & voluitur orbis.
Scilicet, ex illo perspectus sydere Phœbi
Cursus, dum cœli in medio centróque reflexum
Coniunctúmq; vident Soli, agnoscuntque quotannis
Temporibus certis, & punctis semper eisdem,
Coniunctis Soli radijs duplicare calorem,
Atque æstu nimio & feruore incendere terras.
Et quia tercentum & sexcenis quinque diebus

Cum quadrante fere lapsis redit illud in orbem
Exoriturque illis, totidem se condere Solem
Noctibus Oceano credunt, ac deinde reuerti
In gyrum cursu exacto. 20. *Nempe illius instar*
Ciuilem Romæ componit Iulius annum,
Et totidem ille dies fastis horasque notauit:
21. *Sic tamen vt Iani inciperet de more Calendis.*
Et quamquam idem anni fuerat modus antea pridem:
Attamen incertus nec non mutabilis ordo
Et status embolimi mensis qui criminis ansam
Præbuerat, fuit è medio tollendus, & omnis
Pontifici, vt fuerat, remouenda occasio culpæ.
Ergo ascititium mensem deleuit, & annos
Aequales statuit, bis senis mensibus æquè
Constantes. Ex quo sublata licentia posthac
Tollendi augendiue aliquid. Sed quarta diei
Portio quæ iustum numerum superabat abundans,
Obstitit æquales prorsus celebrentur vt anni.
Nam ne forte diem pars hæc diducat ineptè,
Auspiciumque noui conturbet mensis & anni,
Sistere iussit adhuc, donec post quattuor annos
Integram efficeret lucem, & repleret hiatum:
Sicque eadem posthac per singula lustra rediret.
22. *Et quia post sextum Martis lux illa Calendas*
Interiecta fuit, numero & signatur eodem:
Bissexto potuit censeri iure Calendas:

Bissextique annus non abs ratione vocari.
Sed parui hæc fuerant ducenda, parumque iuuarent,
Si non ante suis retulisset sedibus annum,
Obmissosque dies ageret, numerumque repleret.
Bis senos igitur præter, sub calce Nouembris
Adiecit geminos menses: solitúsque cucurrit
Postremum obueniens hoc Mercedonius anno.
Sic est quæque suo tempestas reddita mensi
Brumam solstitiumque atque æquinoctia punctis
Sic rectè signata suis his legibus anni
Vsus & vtilitas docuit: populosque coëgit
Sponte sua proprias sic direxisse tabellas.
Magnum opus! & meritum tanto vel principe dignũ,
Quo sine nec potuere dies nec tempora nosci:
Pontificum quiuis adeò turbauerat annum.
23. *Legitimique dies pariendi & tempora Christi*
Errore vlteriùs stante ignorata fuissent.
Ergo Asiam licet, Aegyptum gentesque superbas
Gallorum Afrorumque citò deuicerit: ipsum
Denique Pompeium Magnum, tresque ille triumphos
Egerit, idcircò est simili non laude ferendus.
Sed tamen haud rectè vt decuit: seruata fuit lex
Illicò: præfecti sed enim ignorantia scribæ
Errorem insignem peperit: tabulisque dierum
Quem retulisse diem impleto penitúsque peracto
Anno debuerat quarto, conscripsit eumdem
Adiecitque

Adiecítque eius capiti. nec cognitus error,
Donec lustra nouem fluxissent integra per quæ
Non totidem adiecere dies quot condita lustra
Sed iam bis senos signarant præpete penna.
Tres igitur resecare dies opportuit: At cum
Fastorum seriem toties mutare pigeret,
Augustus Cæsar mente ingenioque peregit,
Vt neque vel minuisse diem, vel radere quidquam
Esset opus: sic nempe, vt per tria proxima lustra
Intercessaret bissextæ adiectio lucis.
Dein' legem renouat Iuli: inprimísque columnæ
Incîdi ære iubet: ne longa obliuia possent
Aut ætas abolere, & postera secla lateret:
Aeternùmque omnes populos seruare sub orbe
Romani imperij positos suadétque iubetque.
Vt placitum, populi accipiunt haud segnius illam.
Quodque magis mirere, licet tot bella per orbem
Gesta manu fuerint, tot diruta regna, tot vrbes
Euersæ: imperiumque ipsum labente ruina
Collapsum: licet extremis à finibus orbis
Barbarus adueniens has vsurpauerit oras,
Expulerítque aruis populos, noua iura, nouosque
Inducens ritus: tamen hæc eadem viguit lex
Nec sortes rerum varias, nec temporis vllam
Sensit trituram, permansítque integer ille
Calculus, intactúsque etiam nunc forte fuisset,


24. *Ni tandem sex atque decem post secla, quotannis*
Id punctum exiguum quod de quadrante diei
Perfecto deerat, sextantem circiter horæ
Efficiens, sensim in numerum creuisse dierum
Perspicuum fieret, 25. *nihili licet antea pensum*
Romanis, Graijs aliquo sed pondere ductum.
Sic numeris Deus omnipotens nulla astra moueri
Perfectis voluit: sua sunt fragmenta Dianæ
Mercurio & Veneri: sunt & Martíque Iouíque
Saturnóque etiam: stellato denique cœlo.
Scilicet vt cupidas hominum ad cœlestia mentes
Erigat, & rerum noscendis maxima caussis
Ingenia exacuat multo tentata labore.
Ergo Romanus pastor cui cura dierum
Incumbit: festósque dies lucemque sacratam
Paschatis ad certam lunam indixisse quotannis,
Pagina sacra velut, synodus vel sancta notauit:
Officij ratus esse sui se vindice terris
Annum emendari, certásque imponere leges.
26. *Huic operi accingit sese Gregorius orbi*
Tum vigilans Petri ad solium sedemque vocatus
Aggreditur, iubet astrologos toto orbe peritos
Acciri, nec pulchri operis fraudatur amore:
Nam fama egregias longè latéque per vrbes
Europæ exierat tanto sua digna labori
Præmia promitti, magnamque ante omnia laudem.

Ergò ex diuersis multi regionibus oras
Præstantes doctrina omni astrorumque periti
Ausonidum appellunt, altæque ad mœnia Romæ
Conueniunt, septem sibi queis circundedit arces.
Mirantur moles, cœloque minantia castra:
Atque vrbem ingressi constructa palatia cernunt
Vndique mirifico luxu, eximijsque lapillis:
Maximè Atestinas ædes in monte Quirini
Auro conspicuas, vbi nunc stant marmore duro
Bucephali binæ effigies ad limina portæ
Et iuxtà has domitor: quarum vnam Phidias olim
Sculpsit Alexandrum referens, atque æmulus eius
Praxiteles aliam: hinc vulgò mons dictus equinus,
Quem nunc Pontifices habitant decorantque sedili.
Nunc delubra Deûm cultus monimenta nefandi
Semisepulta vident lata collapsa ruina:
Pantheon atque ipsum quod Dijs Agrippa dicarat
Omnibus, omine quo ne tam miranda periret
Fabrica, cunctorum locus est sacratus honori
Sanctorum, quorum ad Christum suffragia quiuis
Flagitat, vt meritis horum sua crimina penset.
Christiparæ inprimis cuius cognomine gaudet:
Fanaque marmoreis centum subnixa columnis
Relliquijs Diuûm multos venerata per annos.
Amphitheatra etiam, thermæ, ingentesque obelisci
Perfora cernuntur passim, statuæque potentum

Heroüm quondam, viuique ex marmore vultus:
Atque triumphales arcus, vbi mille trophæa
Sculpta vident, quæ Traianus quæ Vespasianus
Quæque Hadrianus atrox tulerant ex hostibus arma,
Maxenti exuuias quas Constantinus opimas
Rettulit, inuectus celso Capitolia curru
Multaq; præterea ante oculos sese obuia monstrant
Imperij quondam magni monimenta relicta.
Vrbs fundata olim felicibus, at mage faustis
Auspicijs reparata dein, quæ mille tyrannos
Passa diu, Diomedæo ceu fœdere diues,
Principibus paret iustis, legesque benignas
Suscipit, imperijque animarum sorte beata
Princeps facta iterum est terris sine fine futura.
Ecce autem pulchræ aspectus dum detinet vrbis,
Pontificis iussu se nuntius obtulit, hisque
Gratatur, lætique aduentus gaudia præfert.
Ducit in hospitium magnum, multa ante paratum
Dite penu, stratísque thoris pictísque tapetis:
Et cum crastina lux radijs lustrauerit orbem,
Se fore promittit comitem ad sublimia sancti
Tecta patris, cuius numen sanctúmque senatum
Mane salutatum veniant, & iussa capessant.
Vtque optata dies venit, roseisque capillis
Auroraexpulerat somnos, Tyberina fluenta
Transiliunt ponte Angelico, templumque beati

Conſcendunt Petri, audaci teſtudine celſas
Pyramides ſuperans, olim quas barbara Memphis
Mirata eſt: votiſque Deo mox rite ſolutis
Proxima tecta adeunt, quæ tum Gregorius alta
Incoluit de more patrum: dumque ille ſacello
Cunctatur, Chriſti faciens libamina patri,
Nec dum turba ſacri conſeſſus fulſerat oſtro:
Intereà egregias ædes ſpeculantur, & hortos.
Mille ducum effigies ex ære auroque renident,
Marmoreæque illic ſtatuæ, immanéſque coloſsi.
Parte alia pictus ſtat conſpicienda tabellis
Porticus, hîc longam ſeriem præclaraque facta
Pontificum aſpiciunt, quæ ſummus in arte Michaël
Dûxerat, æternis opus haud imitabile ſeclis.
Hîc Petrus lare ſub paruo tenuique cathedra
Chriſticolûm in medio ſedet, † eccleſiæque recentis
Fundamenta locat, ſed multo aſperſa cruore
Terra madet, quo non ſemen fœcundius vllum:
Vnde hominum tot myriades numeroſaque turba
Credentum regum mentes animóſque feroces
Terruit, & fidei obſtrinxit diademata vinclis.
Hîc Conſtantinus ſacro de fonte lauacri
Abluitur manibus Syluestri, & chriſmate ſancto
Vngitur, admonitus viſu crucis æthere flammeæ:
Cuius deinde ſuis poſuit venerabile ſignum
Vexillis, fretúſque illo ſibi cuncta ſubegit.

† In nominib᷒ Græcis minus religioſè ſyllabas obſeruamus hoc enim Prudentius & alij ſibi indulſerũt idq; argumenti quod tractamus moroſitas facile apud candidũ lectorẽ excuſabit.



Vrbs etiam caput imperij, Romanaque tellus
Cernitur hîc, sanctæ & sedi donatur ab illo.
Atque idem patrum in medio, synodique Nicenæ
Conspicitur, præbens aures, decretáque firmans.
Nec procul hinc captæ toties effinxerat vrbis
Casus, pontificésque sua de sede repulsos
Armis Gotthorum crudelibus, & feritate
Vandalica: verùm lachrimæ tristißima rerum
Delerant permistæ operi, & mens icta dolore.
Et terdena quater post lustra ope Iustiniani
Barbarie ereptam tria post rursum altera lustra
Obsidet, atque solo captam Totila inuidus æquat
Immensi domitricem orbis dominámque potentem.
Nequicquam tamen: his quippe instaurata ruinis
Altior erigitur, sedem & mage nobilis implet
Vt quondam Ecclesiæ imperij, & dominatur in orbe.
Illius occulti est genij tam mira potestas.
Namque hîc pontificem Carlo imperialia sceptra
Magno cernere erat dantem, natóque coronam
Pipino Italiæ regni, multísque subinde
Cæsaribus, non immeritis quæ gratia Francis
Facta videbatur, qui tot victricibus armis
Barbaricas gentes cæsas populosque feroces
Finibus Europæ expulerant dare terga coactos.
Hîc etiam magno fidei & pietatis amore
Perculsos reges Francûm maria alta petentes

Aspiciunt, totum & turbari claßibus æquor:
Inque Saracenos per mille pericula rerum
Irruere, & captas magnæ Carthaginis arces
Afrûm littoribus, ferróque faméque Tunetem
Obsessam: Lodoici *vbi virtus bellica Diui*
Ardentésque micant animi per tela, per hostes
Natorumque trium. Ad læuam quoq; mira patebat
Nostrorum pietas pro relligione fidéque
Certantum in campis Asiæ, pugnatáque forti (stra
Bella manu ad Tripolim & Solymã Antiochenaq; ca-
In conspectu aderant: Procul haud Balduinus eoum
Cernitur imperium Franco sub nomine & armis
Quærere, perdomitósque ad pristina cogere graios
Obsequia, & sedem Romanam agnoscere primam,
Ecclesiásque omnes iterum sociare sub vno
Pastore, inuidia studia in contraria scissas.
Hæc dum perlegerent oculis, animumque tuendo
Explere ardentem nequeunt, fert nuncius illis
Consedisse patres dudum, introeantque iubere
Pontificem: Tum docta cohors penetralibus aulæ
Accipitur, sacris vbi puluinaribus omnes
Indutos trabea & flagranti murice cinctos
Aspiciunt, fulgorque oculos perstrinxit: At illos
Iucundo aspectu recreat pater, atque sereno:
Et prior alloquitur, dictísque ita fatur amicis,
Cœlorum sacri mystæ, queis sydera nosse

Atque ortus obitúsque datum variósque recursus,
Et quibus aspiciant sese aut sua lumina cœlo
Coniungant spatijs, non ignoratis vt errent
Et tropicus distent ciuilia tempora punctis:
Non Aries veri auspicium, aut exordia Cancer
Aestati vt par est tribuit, neque libra tepenti
Autumno, non Aegoceros primordia brumæ:
Omnia sunt turbata: adeò nunc cursibus anni
Procedunt tardis, & in anteriora morantur.
Et nisi Apostolicæ sedis pia cura resistat
Auxilio vestro, veniet labentibus annis
Aetas qua gelido signetur ver Capricorno:
Postque abeant sensim in contraria signa retrorsùm
Tempora: Nec tantum hic quæ sunt mortalia tangit
Error, sed diuina etiam mysteria turbat
Præcipuósque Dei cultus. Quæ vt nota patescant,
Est opus antiquos repetisse ab origine ritus.
27. *Quùm Deus electi populi, è ceruice resoluit*
Aegypti crudele iugum atque immania vincla,
Decreuit simul & gentis punire nefanda
Crimina, primigenósq; hominum pecudumq; necare.
Aggressus, monet hebræos vt quisque domorum
Sanguine mactati postes conspergeret agni.
Scilicet hòc signo vt veniens percussor in vrbes
Transeat illæsos, feriátque ex ordine sontes.
Nec mora, dum medios torquet nox humida cursus,
Angelus

Angelus accinctus ferro penetralia regis
Et procerum intrauit, cunctæque mapalia plebis.
Atque ictu cecidere uno pecudúmque hominúmque
Primitiæ, & versis luxit conterrita fatis
Aegyptus, meritamque tulit gens impia cladem.
Sicque triumphantem & spolijs Pharaonis onustum
Hac nocte eduxit populum de finibus hostis.
Vtque ille horrendus fuerat pertransitus, illis
Iniunxit venerandus eis & honore colendus
Aeternùm vt fieret, memoriq́ue sacrauerat æuo:
Paschalemque diem dixit, gratesque referre
Iussit, & agnorum caderet sibi victima dextra
Cuiusque ex populo, mensis comededa secundis.
Et quia tum mensis, Nisan qui deinde vocatus,
Currebat, quartusque dies decimúsque meabat
Et lunæ & mensis, 28. *iamque horas cernere cœlo*
Aequales Aries dederat somni atque diei:
29. *Hunc Deus edixit mensem, vt solennior esset,*
Primum censeri, & Phase celebrare quotannis
Mense dieque pari, hos teneant in secula ritus,
Hac casti maneant in relligione nepotes.
Paruit his dictis populus, morémque sacrorum
Præceptum tenuit præfractè & mordicus hæsit,
30. *Donec adimplesset legis mandata prioris*
Sanguine Saluator, dum se agnum deuouet vltrò.
Tum noua decreuere patres paschalia festa

Alterius Phase longe melioris, & in quo
Spes omnis populi atque salus prostrata iacebat:
Christus ludibrijs passim & cruciatibus actus:
Contemptus vulgi opprobrijs, tot verbera passus
Tot tormenta, crucis tandem mactatus ad aram,
(Mirandum) è tumulo propria virtute resurgens
Transiit à morte ad vitam, populumque redemit
Victricem palmam, & mortis spolia ampla reportãs.
Fœlix illa dies! niueo signanda lapillo!
Annua qua posthac paschalia festa fuere
Obseruata, quibus melior iam coena paratur
Nobiliorque cibus quam qui olim: Scilicet agnus
Offertur Cristus nobis epulandus in illa.
Hinc quoque Saturni recoli quæ festa diebus
Septenis solita, & Iudæis sabbata dici
Cessarunt, Solisque die coepere deinceps
Institui: nempe illa dies iucundior in qua
E tumulo Cristus surrexerat: hæcque dicata est
A patribus domino, & Domini de nomine dicta.
Nec tamen hoc dum pascha nouum coluere, recedũt
A veteri prorsum norma: seu tempora forsan
Haud sinerent vt sponte sua componere curas
Extemplò auderent: seu quod synagoga verendus
Ecclesiæ veteris quondam sanctusque senatus
Non sine honore suo sepeliri debuit: inde
Contigit vt per secla duo mos ille vetustus

Paschatis ad quartam lunam decimamque colendi
Esset ab ecclesiis Asiæ seruatus ad vnguem:
Nec fieret lucis domini delectus ad vsque
31. *Tempora Victoris Romani præsulis, huius*
Qui sectatores ritus dum damnat, apertum
Schisma graue exoritur, per quod vexata pudendis
Ecclesia est odijs, donec decreta Niceni
Consessus, tantis finem imposuere quietum
Dißidijs, quæ sic tum conciliata fuere.
Conueniunt debere sibi æquinoctia vernà
Seruari: & quartam lunam decimamque prioris
Nonnihil esse etiam seruandam mensis: At ille
Quis mensis prior, aut primi lunatio mensis
Haud facile & promptum fuerat dignoscere, vt olim
Hebræis, semper quibus est in limine Nisan
Anni ciuilis, nascensque ex ordine luna.
Ex quo etenim absoluit bis senis mensibus annum
Iulius, haud potuit concurrere Delia mensi.
32. *Hunc igitur patres mensem voluere Niceni*
Primum censeri, seu Martius, aut sit Aprilis,
Nil etenim refert, quo lux bis septima lunæ
Vel cadit in primum & vicenum Martis, & ipsam
Lucem æquinocti: Vel cui contingit vt adsit
Bis septena dies lunæ quæ proxima fulget.
Tum quæ lux domini propior sequeretur, in illa
Signarunt pascha. Has leges & fœdera cunctis

Christicolis synodus dederat: Sed postera secla
(Tantum æui longinqua valet mutare vetustas)
Paulatim inseruere dies: mutatàque paschæ
Tempora. Cui vitio è varijs vos partibus orbis
Sanando accitos volui, secludite curas:
Hospitio excipiam cunctos opibusque iuuabo.
Bibliotheca mihi innumeris conferta libellis
Est in secessu hoc sub limine, porta patebit
Vobis: non radij, non astrolabia deerunt,
Omnigenique globi, nec quæuis apta supellex.
Ergo agite & veteres quidquid scripsere nouique
Authores agitate animo. Cur mobilis annus
Peccarit toties exquirite: curque recedant
Et quantum proprijs communia tempora signis.
Ecce mihi oblatus nuper cui Lilius author
Conscriptus summa arte liber, noua restituendi
Anni Romani ratio quo fingitur, aptè
Inuentis ad rem cyclis promptisque tabellis:
Discutite has tabulas: & si quid calculus erret
Castigate precor: vèl si meliora potestis,
Pandite, collatis signis concurrite, donec
Emendatus eat cunctis erroribus annus.
Dixerat, Astronomi contrà cum talibus orsi.
Sancte pater, cui cuncta Deus mortalia terris
Et soluisse dedit nexu & vinxisse soluta:
Quod sedet hoc animo tantis succurrere rebus,

Officio est res digna tuo, curaque paterna:
Nec facis inuitis Dijs, aut sine numine Diuûm.
Felix pontifices inter! cui fata dederunt
Auspicijs vt tanta tuis atque omine fausto
Res tentata diu finem accipiatque coronam.
Nulla tibi dignas poterit persoluere grates
Posteritas vnquam, memorique haud eximet æuo
Virtutes noménque tuum pro talibus ausis.
Nos equidem licet haud tali dignemur honore,
Suscipimus mandata, & iussa capeßimus vltro:
Et quidquid studiũ, excubiæ, labor improbus audent:
Quidquid & ars animiq; valent, spondemus ouantes.
Sic fati exorant pacem, hic bene cuncta precatur.
Inde alacres abeunt, & mille volumina nota
Certatim explorant: alijs Ptolemæus ad vnguem
Bedaque perlegitur, Campanus voluitur illis:
Mildelburgensis Paulus: Ianus Sacroboscus:
Alphonsi ast alijs tabulæ, & Copernicus omnis.
Pars vigiles figunt oculos radiantibus astris,
Atque alios operum tenet ingeniosa supellex
Artificúmque labor, cœlique decemplicis orbes:
Pars operique manum glomerat: labor omnibus vnus
Si possent, veris componere motibus annum.
Tandem animo atque abaco cunctis rationibus æra
Subductis, monstrisque errorum mille subactis:
Postque mathematico certamina puluere multa,

Lilius accepit palmam, tabulæque receptæ,
Perpaucis tamen exceptis atque addere iußis.
Conueniunt quæ firma animis sententia constet,
Pontificemque adeunt, atque hæc sua dicta reportant.
Inprimis mutasse suam æquinoctia sedem.
Atque ferè denis vernum abscessisse diebus:
Piscium & in magno retrorsum parte morari,
Arietis ingressus & limina prima tenere
Dum iam debuerat, Sole incipiente recursus.
Nam vulgò vndecimo Martis tum cœperat illud
Signari, quamuis potius decuisset haberi
Primo & viceno vt patres sanxere Niceni.
Erroris caussam exponunt: producta diei
Momenta exiguæ tot bissextilibus annis.
Prætereàque diem paschalem lucibus esse
Plus quatuor referunt ab iusta sede remotum:
Aureus hinc fallax numerus culpatur & exlex,
Vnde ortus primi lunæ epactæque petitæ.
Quod ni emendetur, paschalia festa vagari
Semper in incerto videus, temeratáque legis
Atque patrum præcepta, nefas quod triste piandum.
34. *Ergo dies semel affirmant bis quinque secandos:*
Vernáque restituenda suæ æquinoctia sedi:
Quoque die synodus quondam veneranda locarat.
35. *Et non æqua licet semper spatia annua Phœbi,*
Lucem æquinoctii fixam certamque manere

Haud sinerent, fractique dies & iniqua reclament
Tempora, nec tropici patiantur talia motus:
At medios decuit cursus mediisque propinquos
Sectari, verique nouo decernere sedem
Immotam, certisque vagam concludere metis:
Ne paschæ reuerenda dies incerta deinceps
Christicolis foret, vtque die celebretur eodem
Terrarum quacunque plaga, 36. *quocunque sub astro*
Siue etiam orbe nouo posita: nec iam amplius vllis
Ecclesia astronomis egeat, dubiisque moneri
Responsis, semel à magnis edocta magistris.
Sed nec præsenti morbo satis esse mederi,
Vsque renascentis cesset nisi caussa tumoris.
37. *Ergo iterum ne luxuries super addita luci*
Haud plenæ pateat, tuberque in postera secla
Concrescat sensim, (quippe illa exuberat horæ
Plus quam besse dies) tres esse quibusque silendos
Bissextos censent seclis in quattuor, vno
Centeno semel excepto primoque futuro.
Scilicet exacto vt cyclus prodiret ab anno
Milleno & sexcenteno, inciperetque meatus:
Atque tribus seclis exinde sequentibus, annis
Centenis, numerum vetitus replere dierum
Bissextus cesset, quarto celebrandus vt ante.
Sicque sua æternùm componant secla nepotes.
Et quia ad epactæ rationes tempora lunæ

Signarant veteres, cuius iam calculus esset
Inuentus fallax, fallacior atque futurus
Emendato anno: vetus hic ne falleret ordo,
38. *A Iano epactas suadent non Marte deinceps*
Ordiri, numerusque dehinc abolesceret aureus.
Substituique noua cyclum epactalibus arte
Triginta ex numeris constantem. Talia fati
Verba mathematici, finem dant ore loquendi.
Hæc vbi dicta animo suscepit læta sereno,
Perpenditque diu summus pater atque sacerdos,
Annuit, atque omni procerum testante corona
Assensum, rata firma iubet conscribere fastis
Romanis, atque ore sacro pia verba profatus,
Hanc dixit legem æternam, sanxitque futuris
Mundi temporibus: venturaque secula tandem
Erroris labe & vitio defendit ab omni.
Quod neque Roma vetus potuit, nec Græcia quondã
Aegyptusque sagax noscendo aptissima cœlo.
Neue moram peragendo operi committeret vllam,
(Annus erat Christi octogesimus atque secundus
Cum ter quingentis) bis quinos radere iussit
Octobri de mense dies: Sic nempe reuerti
Illico in antiquas verna æquinoctia sedes,
39. *Et licet à punctis paulùm hic cœlestibus absit*
Calculus, & forsan potuisset iustior addi:
At certè vtilior nequijt meliorque doceri

Arte

Arte alia, & cycli veteris mage congruus æræ.
Tantæ molis opus mortalibus ardua cœli
Et conuexa poli mysteria nosse, suosque
Diuinis numeris numeros componere iniquos.
Vtcumque est, pater ille pius rescripsit ad omnes
Ecclesias, legemque suis adscribere chartis
Admonuit: parent populi regesque ducesque
Terrarum cunctis quotquot sunt partibus orbis
Christicolæ: Et quamuis multis exosa potestas
Pontificis fuerit, quibus haud amplexa parentum
Relligio: bona pars postquam renuere tabellas
Accipere, accepere tamen, seruantque volentes:
Romanæ est adeò veneranda potentia sedis.
Sed nunc quis fuerit cyclus reuocatus ab illa
Quemque modum epactis teneat paschalia ritè
Vt celebret, dicam: quorum ratione tot istæ
Emendandi anni tabulæ, exhaustique labores.
Nunc via nota satis lunæ est: sed cognita nondum
Romanis patribus qui decreuere Nicena
In synodo, vt præsul quoque Alexandreus anno
Ex motu astrorum signaret quo celebrandum
Esset pascha die, solenniaque acta referret
Pontificem ad summum: solis tum forte peritis
Astrorum Aegyptijs: nec non data Cæsariensi
Eusebio cycli condendi cura, quotannis
Vnde ortus possent lunæ epactæque doceri:

E

40. *Sed cyclum Eusebij pridem, at non vsq; probatũ*
Omnibus, antiquat tandem Dionysius abbas.
Hic seclis geminis synodi post tempora sacræ
Exactis, veneranda dies vt paschatis olim
Non incerta foret, cyclum prius arte Metonis
Eusebijque manu factum rudiore peregit:
Epactásque breui & nouilunia nosse tabella
Edocuit, vetere ex illo cycloque relicto.
41. *Epactæ à græco fluxit vox callida verbo,*
Quæ sonat interiectum aliquid: qua voce notarunt
Tres atque octo dies superat quibus annua Solis
Orbita lunarem cursum: fitque altera luna
Ex illis, Graijs quæ dicitur embolismus,
Postquam terdenas (repetiti nempe quotannis)
Implerunt noctes: donec renouata per annos
Bis quinque atq; nouem septenum impleuerit orbem,
Quo cum Sole redit spatio atque redintegrat ortus.
42. *Ergo decem atq; nouem ex annis conflatus ab illo*
Cyclus, qui totidem numeris ex ordine constans
Cuique anno numerum signaret, semper ab vno
Incipiens, vsque ad nonum decimumque: deinde
Rursum per numeros semper prodiret eosdem.
His totidem epactas numeris accommodat, vt sic
Vndeni semper cumulentur: sintque priori
Vndeni semper pro epacta: iamque secundo
Bis sint vndeni: subsint tres denique terno,

Triginta abiectis sibi quos luna integra sumit:
Bis septem quarto. Sicque ordine singula seruans,
Vndenos semper cumulans augensque quotannis:
Ter denos tamen abijciens vbicumque liceret.
Bissextúmque etiam ex horis quibus annus abundat
Inseruit, sed non lustro nisi quoque peracto.
Hoc tamen admonuit, quoties compleuerit ille
Extremum numerum cyclus, cui congruit vsque
Viginti atq; nouem epacta, haud super addere vt ante
Vndenos tantum, At bissenos addere iussit:
Vt quater ex denis vnoque, epacta superfit
(Triginta abiectis) vndeni: & consonet vni
Seu primo cycli redeuntis, vt ordine primo.
Sic fecit cycli embolismum quemque supremum
Bis denis tantum atque nouem constare diebus
Vt decuit, numero sic exposcente dierum
Vndenûm deciesnouies: nouiluuia eamdem
In spiram haud aliter redeant, sed tardius vna
Luce reuertantur spatij sub calce supremi.
Nec tantum epactas docuit cuiuslibet anni
Nosse, sed his numeris nouiluuia cuncta notauit
Perpetuo cyclo: mensis queis nempe diebus
His aliquem ex numeris signaret, semper ab illis
Exortus luna inciperet per quoslibet annos,
Queis ordo cycli hunc numerum sortemque dedisset.
Hinc quartam decimam primi cognoscere mensis

Edocuit lunam synodi decreta sequutus.
Hanc exquirendi epactas ortusque Dianæ
Ecclesia amplexa est artem paschalibus aptè
Seruandis: cyclumque dehinc inscribere fastis
Edixit, quibus aurato nouiluuia signo
Pingebant, numero vnde illi cognomen adeptum.
Tempus ad hoc dudū atq; annis plus mille peractis
Aureus hic numerus viguit, sempérque vigebit.
43. *Sed quoniam nulla arte hominis perfectus ad vnguem*
Confingi cyclus valet vt respondeat astris:
Et minima includi plenis momenta diebus
Fracta negent: & quod nihili nunc ducis, in horas,
Inque dies, forte & seclis labentibus annos
Consurget: fallax ideo non cognitus ante
Hic numerus, longo fallax fuit agnitus æuo.
Compertum sed enim paulò nouilunia eamdem
Ad sedem remeare prius quam fessus Apollo
Obliquum decies nouies compleuerit orbem.
Hincque à sede sua plus quattuor esse diebus
Paschalem lucem amotam: quæ caussa medendi
Extitit, & numerum è fastis abolere coëgit.
Non ad cuncta tamen: verum ad nouilunia tantum,
Festaque mobilia exquirenda facessere iussus,
At solito epactis scrutandis more retentus.
Sic tamen epactis non vt communibus vsque
Seruiret: quandoque etenim variantur ob annum

Correctum demptosq́ue dies, tres atque silendos
In quatuor seclis bissextos: vt pote nuper
Anno octogeno & terno, quia præfuit illi
Septenus numerus cycli, quæ epacta fuisset
Bis quinque & septem, septem fuit illa dierum
Tantum, bis quinos detractos propter ab anno
Anteriore dies. Ex quo fuit ordo deinceps
Mutandus. Nam quæ primo responderat olim
Epacta vndeni numero, nunc vnus habetur:
Sicq́ue per vndenos deducitur, vltima donec
Bis deni atque nouem numero, concurrat eodem
Indeque bissenis (cyclis redeuntibus) auctis,
Aureus incipiant numerusq́ue epactaque ab vno.

44. *Nec tamen hic seclo exacto seruabitur ordo.*
Vnus namq́ue dies centenis demitur annis
Epactæ interdum: perraro augetur & vnus:
Et præcedenti si forte occurrerit anno
Bis seni & septem epacta, haud numeranda sequente
Vlla erit incipietq́ue suos in limine Iani
Luna ortus, cornu extremo vix lumine raro
Conspicua: Exortum cyclus quem signat, vt olim
Mos fuit Hebræis: non hunc quo iungitur ipsi
Phœbo, sub radijsq́ue latet, nec clara videndam
Se terris dat, queis medio interponitur astro:
Quamuis parte sui supera illustretur olympo.

45. *Et postquam incepit cursum cum Sole Diana:*

Vndeni tibi qui ſuperant epacta putentur,
Quæ vera exiſtet radixque futura ſequentum
Emboliſmorum. Vulgò tamen illa dierum
Exacta ſupereſt luna quæ ſumma ſub anni
Calce, epacta ſolet dici: qua deinde quotus ſit
Lunæ quiſque dies facili deprenditur arte.
Hoc memor eſſe velis tantum quæ epacta putetur
Anno vbi perquiris: tot enim tibi luna reliquit
Ex anno anteriore dies: quibus adde priores
Ex Iano donec triginta expleueris illam:
Tum quæ prima dies occcurrerit, illa notabit
Naſcentem lunam, primæque exordia lunæ:
Quæ tibi pòſt alias toto monſtrauerit anno.
Et quamquam ſit nata prior, vocitare ſecundam
Non pigeat; Quippe aſtronomi non menſibus illas
Aßignant queis fraternæ primordia lucis
Accipiunt, ſed queis vacuo conduntur in aſtro.
Nam quos luna dies bis ſenis orbibus actis
Menſibus addictis totidem perluſtrat in anni
Fine, cüi menſi tribuas atque aptius addas
Quam Iano, inceptum demum quo perficit orbem?
Ergo quæ in Iano finem capit, inque Decembri
Auſpicium ſumit, tibi ſit prior: hæc quoque prima
Quæ cum Sole redit, Ianique in limine primo eſt.
Vt fiet, ſi quando ſuo cum menſe Decembri
Emboliſmalis claudatur Luna, nec vllus

Exacto superesse dies noscatur ab anno.
Nam cum nulla queat tunc dici epacta, Diana
Annusque incipient ab eodem exordia puncto:
Primaque tunc anni Ianique vocabitur illa.
At quæcumque prior fuerit, fiet illa dierum
Tricenûm numerata: vno quæ deinde sequetur
Sit minor: Atque alias sic tu dispone, vicissim
Vt plenæ atque cauæ subeant, nisi forsitan annus
Bissexti extiterit, februi quo luna repleri
Gaudet. Sic plenæ perstant tres ordine lunæ,
Vel quatuor, bissextilem embolismicus annus
Si tum præcedat. Namque embolismica cycli
Vltima luna dies quamuis defessa percrret
Bis denos tantum atque nouem: succurritur illi,
Adijciturque dies vna, auferturque sequenti.
Sic fit vti Iani caua sit lunatio mensis
Interdum: & februi cum sit caua luna, necesse est
Continuò ire cauas binas ex ordine lunas.
Sed casus memorare omnes quibus ordo negatur
Alternus, quæque epactis mutatio posthac
Contingat, non Pierides nec Apollo dederunt:
Nec numeri sufferre valent. Tu consule fastos
Romanos, Clauij & tabulas, si talia curæ.
Sed memorata prius tu condita mente teneto,
Quæ te præcipuas leges normamque docebunt.
46. *Nec te scrutandi epactas labor vsque grauabit,*

Vnius illarum dum ſis memor: illa futuris
Præteritiſque docebit iter. Si namque ſequentes
Veſtigare velis, vndenas adijce luces
Epactæ cujus memor es: numeriſque duobus
Epacta ex illis fiet: niſi claudere noctes
Ter denas ierint: Nam tunc tibi ſumito primùm
Quod ſupereſt ex terdenis: quos abijce ſemper
Dum potes, emboliſmus enim eſt: & ſemper eadem
Perge via, optatum donec gradiaris ad annum,
Augens bis ſenos cycli redeuntis in annis.
At reuocare gradum & veſtigia vertere retrò
Si mauis, lapſiſque annis cognoſcere lunam:
Tres atque octo dies ſemper tu ſubtrahe ab illa
Epacta quam mente tenes: epactaque fiet
Altera quod reliquum eſt quoties ſubduxeris: At ſi
Vndeni haud ſuperant, id tantum epacta putetur
Quod ſupereſt ex terdenis. At longius ire
Retrò ſi cupias, reliquum id ne ſubtrahe tantum:
Sed de terdenis etiam ſubducito quidquid
Deeſt ex vndenis: tot enim deducere ſemper
Eſt opus: haud aliter quænam præceſſerit ante
Cognoſcas. Exemplo vt res manifeſta patebit.
Hoc anno ter quinque dies epacta miniſtrat:
Ex quibus vndenos ſi tollas, quattuor extant
Tantum, quæ exacto fuit anno epacta: Tamen ſunt
Vndeni ſemper tollendi: Quattuor ergo
Qui

Qui superant primum abijcias, post subtrahe septem
Ex embolismo, viceni tresque manebunt,
Qui numerus fuit epactæ quæ manserat anno
Anteriore: Deinde via hac tu perge quotannis,
Quæsiti ad lunam donec perueneris anni,
Bis senos adimens cycli redeuntis ab anno.
Quem cyclum nisi tu calles, memorique recondas
Pectore, queis annis redeat perfectus in orbem:
Nequicquam lunæ epactas & tempora quæris:
Tu nisi ephemeridum semper portare tabellas
Ad peram malis, quæ te comitentur euntem
Quemcumque in cœtum venias: vel sacra Senatus
Templa adeas, quibus hæc non ignorare necesse est.
Vidi ego sæpe reos vinclis dimittere patres
Testibus oppressos falsis, quia dicta loquentum
Luna refellebat: siue interlunia lucem
Occulerent: siue vt primis solet esse diebus
Fluctibus Hesperijs confestim immersa fuisset:
Siue recedentes nondum succenderat ignes.
Ergo si cycli numerus qui currit in anno
Forte animo exciderit, tum te præcepta iuuabunt
Artis Arithmetices, subitoque elapsa docebunt
Immemorem: nam si Christi tu adieceris annis
Annum vnum, & per dena nouem diuiseris illam
Annorum summam, si quid tibi forte supersit,
Aureus id reliquum numerus fiet illius anni:

Quod si diuisa ex summa nil denique restat,
Ipsa nouem atq; decem numerũ incomitata notabũt.
Si dubites, notum exemplis id fiet apertis.
47. *Hoc anno per dena nouem si diuidis annos*
Mille & sexcentos, vnumque adieceris, ecce
Quinque tibi superant: numerus qui currit in anno.
48. *Alterum & ex nonageno quintóque patebit*
Anno: quo pariter si tu diuiseris illam
Cum ter quingentis summam, atque adieceris vnum,
Nil superest. Ergo meritò fuit aureus illi
Tunc anno numerus nonusdecimusque notatus.
49. *Hac etiam arte queas Indictio quanta putetur*
Noscere rescriptis siue imperialibus olim,
Seu nunc pontificum bullis, seu quolibet anno
Disquiras quota sit numeranda. Indictio namque
Ter quinque annorum semper repetitus vt alter
Est cyclus, spatio hoc quoniam indixisse tributa
Mos fuit emenso, quùm Constantinus adeptus
Cognomen Magni, iussit lege omnibus æqua
Censeri populum ratione ætatis & æris.
Sic ergo inuenies. Annos memor adijce ternos
Christi annis: & per quindenos diuide totam
Annorum summam: Si quid tibi forte supersit,
Id reliquũ haud dubiè, sit quænam indictio, monstret.
At si diuisa ex summa nil denique restat:
Tum tibi quindenos indictio præbeat annos

Extremum numerum cycli. Quod monstrat apertè
Hic annus, cui tu ternos si adieceris annos:
Et per quindenos demùm diuiseris omnem
Annorum summam: septem tibi sexque supersunt:
Quem numerum hoc anno nobis indictio signat.
50. *Hac quoque solaris cyclus dignoscitur arte,*
Octo & bis denis annis ex ordine constans.
Nam si tu ternos ter Christi adieceris annis:
Perque quater septem summam diuiseris omnem:
Sit tibi quod superest cyclus solaris. At illa
Si nihil est reliquum ex summa, iam fine supremo
Clauditur, atque quater septem sibi computat annos.
Quod te vel præsens annus docet. Adijce ternos
Et sex Christi annis: totam & sic diuide summam:
Tot numeri expleti septem tibi sexque relinquent:
Quem numerum hoc cyclus solaris denotat anno.
Hoc cyclo tibi monstratur quæ præsit in annis
Littera, qua domini lux designata patebit.
Quinquaginta etenim atque duas complectitur annus
Hebdomadas, septem literæ quibus ordine semper
Sufficerent, anno exacto in gyrumque redirent,
Nec cyclo esset opus, prima redeunte quotannis,
Annus si numeris constaret talibus æquis:
Sed superest illi vna dies qua frangitur ordo:
Et qua fit varijs astrorum vt lucibus anni
Incipiant. Superest etiam lux altera quarto

Quoque anno, cui danda fuit sua littera & astrum:
Vnde duas sibi litterulas hic postulat annus.
Hinc quoniam nisi post lapsos septem quater annos
Prima redire nequit, quæ prima inceperat olim:
Hic cyclus totidem est annis conflatus ad illas
Noscendas, dominique dies paschæque sciendos.
51. *Est etiam ad lunam noscendam calculus alter*
Inuentus pridem, & longo vsurpatus ab æuo,
Sed quem emendati ratio nunc respuit anni,
A Marte epactam incipiens, iungensque calendas
Tot mensum quot à Marte queas numerare, diesque
Adijciens totidem quot iam produxerit anni
Mensis quo lunæ currentis quæritur ætas:
Ter denos tamen abijciens quacumque licebit.
Quæ collecta simul (verus si calculus ille est)
Ostendunt quem luna diem percurrat olympo.
Et licet à cyclo integra plus luce recedat
Anticipetque suos ortus; tamen ille iuuabit,
Si prouecta dies summa minuatur ab illa.
Sed quos nil cyclus tangit, neque luna futuris
Paschalis curæ est seclis, cælique meatus
Tantum nosse iuuat, tropicosque inquirere motus,
Hac arte vtantur, propius quæ accedit ad illos:
Dum cycli epactas aurei numerosque sequantur.
Hæc ego tum mea rura colens, meditabar in agro
Parrisio, Henricus magnus dum territat Alpes:

Oppidaque Allobrogum iusto sua iura reposcens
Indictoque quatit bello: victorque volentes
Per populos dat iura: tamenque inseruit amori,
Connubiumque parat Mediceæ Heroïdis altæ.
Dÿ faciant longos fœlicibus vt stet in annos
Auspicÿs: proléſque illis nascatur in æuum
Mansura: & tantis quæ digna parentibus olim
Imperet, & regnum in Turcas producat auitum.

De septem nominibus & ordine dierum.

Errantes stellas veterum sapientia patrum
Cuique horæ alternis docet imperitare diei.
Ordine sed non quo cœli conuexa tuentes,
Paulatim inspicimus diuersis motibus illas
Signiferi lustrare viam, & se tollere in altum:
Ordine at inuerso. Primæ vt si præfuit horæ
Cynthia; Saturnus subeat præsitque secundæ:
Iuppiter hinc ternæ dominetur: Marsque quaternæ:
Phœbus & auricomus quintam sibi vendicet horam:
Sextam clara Venus: septenam fulgidus Hermes:
Rursus & octauam sumat sibi Luna. Deinde
Procedant aliæ subeuntes ordine eodem,
Septenasque vices iterent: paribúsque vicissim

Horarum imperijs regnent discrimine nullo:
Aequalesque regant animis concordibus annum.
52. *Sic factum, alternis (alio tamen ordine binis*
Nempe intermissis) primæ dominetur vt horæ
Quælibet ex illis septem, postquam ocyus illæ
Ordine bis denas perlustrauere diei
Quattuor atque horas. Huius nam proxima sumit
Imperium, simul ac noua lux incepit oriri.
Sed primam hanc tamen illa sibi non vendicat, ante
Quam sex præfuerint illi imperitentque vicissim:
Tam numerus valet ille potens & mysticus ordo.
Nempe hic summus honos: namque illa præesse diei
Dicitur, imperium primæ cui contigit horæ.
53. *Soli igitur seu tum forsan sors æqua diei*
Horam primigenam dederat: seu iure fuisset
Debita, quod lumen reliquis impertiat astris,
Præsitque in medio positus: tribuere priorem
Hebdomados lucem, Solis de nomine dictam.
Sed quæ nobilius nomen sortita deinde est
Christicolis, postquam Dominus surrexit in illa
E tumulo, sumens Domini venerabile nomen,
Vt sacrata Deo, atque piæ deuota quieti.
Horam sic primam lucis quia Luna secundæ
Obtinet, est ea lux lunæ cognomen adepta.
Sic quoniam Mars ingreditur prima omina ternæ,
Lux ea terribili Martis cognomine gaudet.

Mercurius quartæ quia tempora prima gubernat,
Illi Mercurij est nomen. Quia Iuppiter almus
Auspicium præbet quintæ, ab Ioue quinta vocatur.
Par ratio sextæ Veneris nomen dedit astri,
Septenæ quoque Saturni, quam sabbaton vsus
Appellat, fuerat quondam quia sacra quieti,
Et deuota Deo, Iudæis nunc quoque culta:
A secloque fuit patribus venerata priore,
Ex quo opere ab mundi tanto requieuit in illa
Omnipotens, sacramque sibi propriamque dicauit.
Et nunc culta foret nobis, nisi quæ fuit olim
Lætitiæ, fuit hæc eadem lugenda subinde,
Mœstitiæque dies, iacuit qua Christus operto
In tumulo: inque diem solennia sacra sequentem
Translata, exanimum rediuiuum quæ dedit alma.




IACOBI PINONIS SENATORIS PARISIENSIS ANNOTATIONES IN SVVM CARMEN DE ANNO ROMANO.

AD LECTOREM.

HAbes, Candide Lector, nostrũ, qualecumque est, poëma de Anno Romano: nonum quidem per annum multóq; amplius suppressum, sed non vsque perfectum, vt editione dignum iudicaremus, tum propter inelegantiam sermonis, quæ ferè in talibus scribendis contingere solet, quandoquidem, vt ait Manilius,
Ornari res ipsa negat, contenta doceri.
tum etiam propter multa mihi etiam ipsi non satis perspicua & elucidata,

quæ neque lex carminis neque poëmatis decor & ordo fusius explicare permisit. Tandem vero efflagitantibus amicis notis illud illustrare suadẽtibus, grauissimorum authorum exempla sequuti, annotauimus quędam in obscuriores locos, quibus res alioqui difficillimæ simul & vtilissimæ non parum elucescent. Quod vtcumque sit, tamquam vtilitatis tuæ gratia factum, ęqui boniq; consulas rogo. Bene vale.



Rincipium Deus æternus numero. 1.
Dies, tempestates, & annos regi per sydera, Deus in ipsa creatione dixit: vt testatur Moses genes. cap. 1. Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos.

Vox amprisca sonat circùm num. 2.
Macrob. lib. 1. Satur. cap. 14 hoc etymon colligit ex Catone in Originibus. Alij vero existimant annũ dici ab annulo, quòd in se redeat vt annulus, vnde Virgil. lib. 2. georg.
Atque in se sua per vestigia voluitur annus. Sic & à

Græcis dicitur ἐνιαυτὸς, quod in ſeipſum recurrat.

Teſtantur ſacris num. 3.

Id refert Petrus Haguelonus ex Oro Ægyptio in ſuo calendario trilingui. Sed & veteres Ægyptios nullum annum aliquando habuiſſe præter lunarem menſtruum author eſt Diod. Sic. lib. 1. Plutarchus in Numa, & Lactantius *lib. 2. de falſa religione cap.* 13. Vnde tot annorum ſecula eorum reges regnaſſe memoriæ prodiderunt.

Sol quippe diebus num. 4.

Solis curſus conſtat diebus 365. & paulo minus diei quadrante, nempe horis 5. minut. 49. ſecund. 16. ſecundum tabulas Alphonſinas.

Aſt illum ſeptem & biſdenis num. 5.

Lunæ curſus eſt duplex, Periodicus, & Synodicus: Periodicus quo perluſtrat 12. ſigna Zodiaci, & cõſtat tãtum diebus 27. $\frac{1}{3}$. vel circa, vt ſcribit Sacroboſcus in ſphæra. Synodicus, quo iam perfecto ſuo orbe denuo incipit & pergit, donec cum Sole congrediatur, vt ab eo lumen accipiat, cõſtatq; diebus 29. $\frac{1}{2}$. mi. 44. ſec. 3. tert. 10. quart. 48. ſecundum tabulas Prutenicas.

Hinc patet ex luna num. 6.

Annus lunaris communis ex 12. lunationibus dierum 29. $\frac{1}{2}$. ſingulis conflatus, neglectis ſcrupulis horarijs, conſtat diebus 354. Annus autem ſolaris conſtat diebus 365. $\frac{1}{4}$. neglectis ſcrupulis. Itaq; Solis exceſſus ſupra lunam putatur eſſe dierum 11. $\frac{1}{4}$. Vera autem differentia ex calculo aſtronomico vtriuſq; epochæ, ſupra numero 4. 5. deducto petita, habita

ratione ſcrupulorum, eſt dierum tantum 10. horarum 21. ſec. 37. terti. 50. quart. 24. Dicitur autem annus communis lunaris ad differentiam anni lunaris emboliſmici, dequo poſtea dicetur.

Hebræi hoc primi faciunt num. 7.
Hebræorum menſes lunares fuerunt, & incipiebant à nouilunio: fuitque illis annus duplex: Vulgaris, & ſacer. Vulgarem quidem incipiebant à lunatione menſis qui poſtea dictus eſt Tizri, qui nobis eſt September, circa æquinoctium autumnale. Legalem vero poſtquam redierunt ab Ægypto, inceperunt ex præcepto diuino ob feſtiuitates à lunatione menſis qui poſtea dictus eſt Niſan, qui nobis eſt Martius, circa æquinoctium vernum. Non deſunt tamen viri doctiſſimi, qui putant Iudæos non prius habuiſſe annum lunaré, quam quùm regnãte Ioachim rege Iuda, tributarij facti ſunt Chaldæis ſub Nabopollaſaro magni Nabuchodonoſori patre: idq; conijciunt ex eo quod nomina menſiũ Hebræorum ſint Chaldaica: vnde innuunt eos annum Chaldæorum aſſumpſiſſe, quo tempore Chaldæis ſubditi fuerunt. Deinde ex Geneſis cap. 7. & 8. vnde colligunt eorum menſes 30. dierum fuiſſe, cui numero non reſpondet curſus lunaris. Aiunt enim ex illis locis conſtare diluuium cepiſſe die 17. menſis ſecundi. Deinde poſtquam inualuerunt aquæ ſuper terram 150. diebus, arcam die 17. menſis 7. in montibus Armeniæ conſediſſe. Qui dies 150. per 30. diuiſi relinqunt 5. menſes exactos 30. dierum. Item ex lib. 1. Regum cap. 4. vbi fit mentio de 12.

præfectis regiæ annonæ, cui ſinguli ſingulis menſibus præerant. Et ex lib. 1. paralip. cap. 27. vbi pariter 12. præfecti Dauidis totidem menſibus viciſſim cum ſuis cohortibus regi miniſtrabant. Quod ſi menſes lunares fuiſſent, neceſſe fuiſſet menſi embolimæo ſeu intercalari aliquem præficere: dequo tamen menſe nulla ibi nec in vllis alijs ſcripturæ locis fit mentio. Sed illa quidem argumenta (pace tantorum virorum dixerim) mihi parum firma eſſe videntur. Quod enim nomina menſium hebræorum ſint Chaldaica, coniectura quidem eſt Hebræos illa à Chaldæis accepiſſe, non tamen neceſſaria: Potuerunt enim Chaldæi ea ab ipſis olim Hebræis accepiſſe, quandoquidem Chaldaica lingua ab Hebraica originem traxit: & Chaldeæ regio patria fuit Abrahami Hebræi, & fratrum eius, vt ex Geneſis cap. 11. ſatis liquet: & quamquam ea nomina à Chaldæis accepiſſent, idcirco eos lunarem annum antea non habuiſſe, nulla cogit ratio. Quod autem afferunt de numero dierum 150. à 17. menſis ſecundi ad 17. menſis 7. fefellit eos Caſtalionis verſio ab eccleſia exploſa: qua quidem perperam ſcripſit Caſtalio arcam quieuiſſe in montibus Ararat die 17. menſis 7. cum ex aduerſo B. Hieronimi traductio ex Hebræo facta, verſio 70 interpretum, & Paraphraſis Chaldaica oſtendant non in die 17. menſis 7. ſed 27. eiuſdem menſis arcam conſtitiſſe. Neque hoc vitio librariorum tribui poteſt, cum trium idiomatum fiat in ea re concurſus atque conſenſio, ſitque error tantum in eo quod in editione

70.ſcriptum eſt cepiſſe diluuium die 27.menſis, cum ex Hebraica & Chaldaica lectione conſtet illud cepiſſe die 17. menſis 2. vt etiam illi affirmant. Itaque ſi vt illi aiūt die 151. in mōtibus arca cōquieuit, cum ſit certiſſimum, eam 27.menſis 7.conſediſſe poſtquā à die 17. menſis 2. aquæ operuerant terram, detrahendi ſunt 10. dies ex numero 150. vt relinquantur pro 5. menſibus 140. dies tantum: qui per 5. diuiſi conſtituunt ſingulos menſes 28. dierum duntaxat. Sed interim tamen (quod viri illi eruditiſſimi non aduerterunt) numerum 30.dierum in illis menſibus defendere poterat textus ratio: non enim ſcriptum eſt, vt illi aſſeuerant, arcam die primo poſt 150. dies conſediſſe, ſed aquas minui cepiſſe. Ita vt 27 menſis, 10. ſcilicet die poſt 150. dies arca conſtiterit. Et ſane cum 15. cubitorum altitudine aquæ montes excelſiſſimos ſuperarent, vix credere dignum eſt tantas congregationes aquarum tam breui momento effluxiſſe vt eodem ipſo die quo minui ceperant, in montibus arca conquieuerit. Sed potius die 10. quippe cum non niſi poſt 7. menſes ab eo die terra exſiccata fuerit: Sed eſto menſes Hebręorum tunc temporis fuiſſe 30.dierum: ergo nullam lunaris anni formam habuiſſe non ſequitur, cum græcorum menſes τριακονθήμεροι, hoc eſt, 30. dierum diu fuerint: cum tamen conſtet, eorum annum fuiſſe lunarem. Exiſtimabant enim veteres lunæ curſum confici 30. dierum ſpatio. Sed poſtea ἐπαγομένας ſuas, hoc eſt dies adiectitios, ſeu intercalares ad ſolis & lunæ rationes accommodarunt, vt

poſtea dicetur. Quod vero attinet ad 12. præfectos Dauidis & Salomonis, qui viciſſim ſuis menſibus præerant, nihil obſtat quominus ſeruato viciſſitudinis ordine, vnus ex illis 12. præfectis menſi embolimæo quem lunaris curſus deſiderabat, præeſſet. Cum enim annus communis lunaris 12. tantum menſibus conſtet, non fuit opus decimum tertium præfectum inſtituere, vt menſi embolimæo, qui poſt triennium tantum occurrebat præficeretur. Sed quod menſes Hebræorũ lunares fuerint Moſis temporibus, colligitur ex textu ipſius Moſis Deuter. cap. 21. verſ. 13. vbi ירח iëreach quod vulgò lunam ſignificat, pro menſe poſuit, vt ex vtraq; verſione tam 70. interpretum quam B. Hieronymi patet: qui quidẽ quod Moſes lunam dixerat, menſem verterunt. Quod in multis etiam aliis ſcripturæ locis reperitur, vt apud Zachariam cap. 11. verſ. 8. 1. regum cap. v. verſic. 37. & 38. & cap. 8. eiuſdem libri verſ. 2. Idem quoq; obſeruatum ante Dauidis tempora ipſe Dauid teſtatur pſalmo 80. vbi de feſto tubarũ loquẽs, quod primo die mẽſis ſeptimi celebrabatur, vt ſcriptum eſt Leuit. cap. 23. & nu. cap. 29. appellat eum diem nouiluniũ tubarũ, his verbis: תקעו בחדש thichou bachodeſch quæ verba 70. interpretes verterunt σαλπίσατε ἐν νεομηνίᾳ σάλπιγγι. i. Buccinate in neomenia tuba: vel vt vertit D. Hieronymus ex Hebræo, quod idẽ eſt, clangite in neomenia buccina. Neomenia autem Græcè nouiluniũ ſignificat, ſicq; etiam à latinis vſurpatur. Ioſephus quoque Iudæus, qui temporibus Apoſtolorum vi-

xit, & cuius ſcripta demonſtrant eum de genere ſacerdotum fuiſſe,& apprime verſatum in traditionibus veterum Hebræorum, anni lunaris formam ad tempus Moſis retulit,cum ait lib. 3.antiquit. cap. 10. Legis præceptum eſſe vt 14. luna primi menſis immolaretur paſcha. Atque eo ritu legem obſeruatam fuiſſe,manifeſtum eſt ex lib. 3.Eſdræ cap. 1. vbi ait Ioſiam immolaſſe paſcha in Hieroſolyma 14. luna primi menſis, & ex Eccleſiaſtici cap. 43. vbi Ieſus filius Sirac ait. A luna ſignum feſtiuitatis: luminare quod minuitur in conſummatione. Menſis ſecundum nomen eius eſt creſcens mirabiliter in conſummationem. Et licet Moſes cum de paſchate locutus eſt, non dixerit 14. luna: id tamen ſignificauit quãdo 14. diem, quod idem erat, expreſſit. Nec enim ei opus fuit apud populares ſuos in re notiſſima alia deſignatione vti. Quo vero tempore cyclum ſuum quo nunc vtũtur ordinarint menſemque Veadar intercalarem inſtituerint, non ſatis ex eorum ſcriptis liquet. Sed veriſimile eſt Moſem diuino ſpiritu afflatum, omniq; ſapientia præditum,à quo Ægyptij,& ab iis Græci literas didicerunt, aſtrorum motus non ignoraſſe, & ad Solis & lunæ rationes direxiſſe annum qui tot diebus ſacris & myſticis à Deo ſtatis & indictis deſignatus eſſet. Et licet de embolimæo menſe ſcriptura mentionem non faciat,nobis tamen,ſi æqui eius interpretes eſſe volumus, coniiciendum relinquit. Si enim apud illos lunares menſes fuiſſent ſine vllo intercalari, contigiſſet ſæpiſſimè vt media hyieme paſcha occur-

occurreret. Quod si accidisset, quomodo in mense nouarum frugum pascha celebrarent, vt Exodi cap. 13. & Deuter. cap. 16. præceptum erat? & quomodo paschali tempore nouarum frugum manipulos offerrent, vt Leuit. cap. 23. fuerat edictum? Necesse fuit igitur post triennium, vel forte etiam quandoque post biennium, mensem intercalarem adiicere, vt ad cursum solis, ad quem tempestates anni diriguntur, lunaris annus reduceretur. Quem verò cyclum temporibus Mosis habuerint ad eam æquationem faciendam, plane ignoratur. Ioannes quidem Lalamantius doctissimus medicus in libro de anno exterarum gentium existimat mensem intercalarem Hebræorum fuisse dierum 33. & tertio quoque anno celebratum: vt pote conflatum ex ter 11. diebus, quibus 3. anni solares totidem lunares annos ferè superant: qualem etiam mensem intercalarem apud Persas & Arabes fuisse scribit; necnon aliquandiu apud Græcos, vt probat ex Libanio interprete in orationem Demosthenis contra Androtionem. Quæ quidem sententia mihi probabilior videtur, cum solis excessus supra lunam eò ferè recidat, vt supra num. 6. exposuimus. Constat autem Iudæos multis abhinc seculis cyclum 19. annorum vsurpasse similem fermè nostro lunari cyclo Dionysiano, de quo posteà dicetur: quo quidem spatio septies mensem Veadar intercalarem adiiciunt, vt patet ex eorum calendario.

Quod mundi illa dies fuerit. num. 8.

Genebrardus initio suę Chronologię refert ex Rabi-

Abraham in 7. Danielis, Hebræos idcirco annum inchoasse à mense Septembri, quòd crederent eo mense orbem conditum esse. Quod tamen astronomis nõ placet, qui mundi primordium ducunt à mense Martio, scilicet ab æquinoctio verno, cum Sol ingreditur primum gradum Arietis. Cuius sententię astronomorum Virgilius poëta familiam ducit, qui lib. 2. Georgicon ita canit,

Non alios prima crescentis origine mundi
Illuxisse dies, aliúmue habuisse tenorem
Crediderim: Ver illud erat, Ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri,
Cum primum lucem pecudes hausere, virûmque
Ferrea progenies duris caput extulit aruis,
Immissæque feræ syluis, & sydera cœlo.

At Graius quoniam Elæis num. 9.
Græcorum menses fuisse lunares, vel ex eo colligitur, quòd primus dies cuiúsq; mensis νεμηνία vel νεομηνία, hoc est noua luna, diceretur, mensísque etiam vocaretur apud illos μὴν, quasi μήνη, quòd lunam significat. Deinde olympicum certamen, quod quarto quoque anno apud Elidem Græciæ ciuitatem celebrabatur, fiebat in plenilunio, seu 15. die mensis Boëdromionis: & ab eiusdem mensis nouilunio anni incipiebant: vt ex Pindari interprete notat Scaliger lib. 1. De emendat. temp. qui quidem tamen nititur probare aduersus Gazam ex Herodoto & Aristotele, Grecorum annum non fuisse lunarem, hoc argumento quod menses Atheniensium 30. dierum fuerint, ex quibus, 12. scilicet, compo-

nitur annus 360. dierum. Sed hoc mirum videri non debet, cum, vt iam diximus, veteres diu existimarint Lunæ cursum confici 30. dierum spatio. Et certè trigesimũ diem non modò attingit, sed plusquam dimidium conficit: atque ideò dies ille trigesimus ex instituto Solonis ἕνη καὶ νέα dicebatur, i. vetus & noua: vt significarent tum Lunam veterem finiri & nouam incipere: vt notauit Plutarch. in Solone. Quod etiam ex Platone in Cratylo colligi potest, vbi hanc esse Anaxagoreorum sententiam refert, & ex eisdem verbis σελήνης etymologiam ducit, nempe ex σέλας νέον καὶ ἕνον, vnde dicit σελαενονοάειαν legitimo vocabulo dici posse, sed à multis per contractionem literarum σελαναίαν vocari. Postea autem dies adiectitios in fine cuiusque anni habuerunt: ac deinde menses plenos & cauos: hoc est alternis 29. & 30. dierum: atque etiam embolimos seu intercalares, vt refert Macrob. lib. 1. Satur. cap. 13. vt ad Solis & lunæ rationes annum suum dirigerent. Prima quidem Græcorum epocha tetraëteris, hoc est quatuor annorum fuit, incipiens à solstitio æstiuo: eáque multo magis lunaris quam solaris, ad ludicrum olympicum obeundum in honorem Iouis Olympij introducta, constans diebus 1447. mensibus 48. lunaribus, cauis & plenis; ac prætereà mense vno 31. dierum: vel vt Scaliger putat, quod eodem recidit, constans 48. mensibus æqualibus 30. dierum, ac prætereà diebus 7. ὑπερβαινούσαις, in fine cuiusque anni distributis. Quæ quidem periodus diebus 14. breuior est tetraëteride

ſolari Iuliana, quæ complетur diebus 1461. Quod autem diximus annum Græcorum incipere à ſolſtitio æſtiuo, intelligendum eſt à ſolſtitiali tempore: ab ea ſcilicet lunatione, quæ proxime ſolſtitium ſequebatur: quandoquidem in anno lunari menſis embolimæus pati non poſſit, vt eodem ſemper die vel menſe æquinoctium fiat: vnde fit vt apud authores quandoque incidat in Hecatombæonem & Metageitnionem, ſicut & in Boëdromionem.

Harpalus ergo duas num. 10.

Harpalus philoſophus vitio Tetraëteridis deprehenſo, primus Græcorum ad lunæ & Solis rationes annum redigere conatus eſt, & Octaëteridis ſiue 8. annorum cyclum conſtruxit, ex duabus Tetraëteridibus Olympicis: quibus etiam alium menſem embolimum addidiſſe ex eo colligitur, quòd ille quantitatem anni ſolaris dierum 365. $\frac{1}{2}$. definierit, vt teſtatur Cenſorinus in libro de die natali, cap. 19. Quod enim eo loci apud illum reperitur Harpali annum fuiſſe dierum 365. & horarum 13. mendosè ibi legitur 13. pro 12. vt notauit Scaliger. Itaque fuit hæc periodus dierum 2924. conſtans 99. lunationibus, videlicet 96. communibus, & 3. embolimæis, quas celebrabant in fine cuiuſq; octennij, vt notat Macrobius. Fuit autem longior diebus 2. octaëteride ſolari Iuliana, quæ completur diebus 2922. Quoniam pro diei quadrante annuo Harpalus ſemidiem aſſumpſit. Nec etiam veram lunæ epocham eſt aſſequutus, cum 99. ſyzygiæ lunares numero illo dierum 2924. breuiores ſint ho-

ris fermè 12. Continent enim secundùm cursum medium dies 2923. horas 12. min. 41. sec. 14. tert. 50. quart. 52. Quidam tamen scripserunt, vt Diogenes Laërtius lib. 1. de vita Philosoph. in Thalete, Thaletem primum inuenisse anni tempora, eumq; in 365. dies diuisisse. Ex quo paulo minus eum errasse quam Harpalum manifestum est.

Huicce Meto occurrit vitio num. 11.

De anno Metonico scribit Diod. Sicu. lib. 1. floruitque Meton circa Olympiadem 86. annis ante Christum circiter 431. Hic cum existimaret Solem & lunam post 19. annos ad idem cœli punctum redire, cyclum 19. annorum solarium composuit, in quem præter 12. menses lunares communes 29. & 30. dierum, coniecit 7. menses intercalares tricenûm dierum singulos, ac præterea dies 4. ex diebus 11. $\frac{1}{4}$. quibus solaris annus lunarem superare putabatur, conflatos: fuitque dicta hæc periodus ἐννεα-δεκαέτηρις. i. decemnouennalis, vt ita loquar cum nostris computistis, constans diebus 6940. vt vult Censorinus cap. 18. Sed eam vno diei quadrante quem neglexit abundasse secundum vulgarem anni Iuliani calculum sic colligitur. Anni 19. lunares communes ex diebus 354. conflati conficiunt tantum dies 6726. quibus si addideris decemnouies 11. $\frac{1}{4}$. quibus solaris annus Iulianus lunarẽ superat, qui efficiunt 213. $\frac{3}{4}$. Summa erit 6939. $\frac{3}{4}$. Differentia $\frac{1}{4}$. diei. Quomodo autem verus calculus lunaris se habeat ad solarem in annis 19. dicetur postea nu. 4.

Sed mox errorem num. 12.

Periodus Attica Calippica confecta ex 4. Metonicis, constitit annis 76. lunaribus, & 28. mensibus intercalaribus, vt ait idem Censorinus: ex quorum vltimo detraxit diem vnum ob quadrantem illum diei, quem superfluum credidit à Metone assumptum fuisse.

Nam post duo secla notauit Hipparchus nu. 13.

Hipparchus 145. annis ante Christum & 200. ferè annis post Calippum deprehendit quadrantem annuum diei qui præter dies 365. assumptus fuerat, integrum non esse: quia in annis 200. annus iam anteuerterat cœli punctum à quo abierat, horis 16. siue duobus diei trientibus: futurúmque erat vt in annis 300. solido die eodémque superfluo aberraret, vt notat Scaliger lib. 2. de emend. temp. Itaque nouam periodum constituit ex 4 Calippicis, annis 304. lunaribus constantem, & 112. mensibus intercalaribus, vt ait Censorinus, cap. 18, ex quorum vltimo detraxit diem vnum ob fracta quædã, quæ iam ab eo tempore deesse credidit diei quadranti annuo. In quo sane non procul abfuit à vero, vt postea docebitur. Mirórq; vehementer Sosigenem Ægyptium Mathematicum insignem qui anni Iuliani author fuit, ac deinde patres concilij Niceni tot eruditis viris præsertim Græcis & Ægyptiis sociatos, hunc errorem non deprehendisse & Hipparchi vestigia neglexisse.

Nunc Latio antiquo num. 14.

Censorinus cap. 20. ait priscum annum Albano-

tum ac Romanorum fuisse 10. mensium. Idq; confirmat authoritate Iunij Gracchani, Fuluij, Varronis & Suetonij: quibus etiam adstipulatur Ouidius 1. & 3. fasto. Plutarch. In Numa & Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 12. Quod certè vel ex eo probabile est, quod December qui erat vltimus anni à decimi vocabulo nomen habuerit: sicut & Quintilis postea Iulius dictus, qui est quintus à Martio, ostendit Martium primum fuisse, antequam Numa Pompilius Ianuarium & Februarium adderet. Hos autem menses conflauit Numa tum ex 50. diebus, quos anno qui iam 304. dierum erat, addidit, vt ad cursum lunarem annum reduceret: Tot enim dies, scilicet 354. lunationes 12. communes neglectis scrupulis horarijs efficiunt, tum etiam ex 6. diebus quos ex mensibus paribus qui tunc 30. dierum erant, nempe Aprili, Iunio, Sextili, Septembri, Nouembri & Decembri, singulos detraxit, atque ita duos illos menses 28. dierum effecit. Sed postea superstitione Pythagorica longe tamen ante Pythagoram ductus, vt annus numero impare cōstaret, superaddidit illi diem vnum, quem Ianuario tribuit, sicque menses omnes impares remanserunt præter Februarium: quod fuit necesse, ne 12. numeri impares integrum dierum anni numerum parem facerent. Quod autem attinet ad denominationes mensium, ea ex Ouidio, Censorino, & Macrobio decerpsimus. Nec sine admiratione venit in mentem, eas denominationes hæc ad vsque tempora perstitisse, neminémque ex tot im-

peratoribus post Iulium Cæsarem & Augustum aliis mensibus suum nomen indidisse. Quod enim Suetonius de Domitiano scribit eum de suis cognominibus Germanici & Domitiani Septembrē & Octobrem menses vocasse; & Herodianus menses omnes ab imperatore Commodo de suis nominibus appellatos, ea statim aboleuit posteritas, & iniquissimorum principum odio deleuit è fastis.

Ianum Februúmq; locando Anni principio num. 13.

Non desunt qui existiment Numam constituisse Ianuarium & Februarium vltimos anni menses: tum ex Ouidio lib. 2. fasto. ita scribente.

Qui sequitur Ianum veteris fuit vltimus anni
Tu quoque sacrorum termine finis eras:

Tum ex M. Tullio 2. de legibus: Varrone lib. 2. de lingua Lat. Plutarcho in problematis: & Macrob. 1. Satur. cap. 19. Sed diuersa ratione hi menses modo primi, modo vltimi censebantur. Quod enim attinet ad ritus terminaliorum & intercalationes, de quibus aliquid immutare summa religio erat; quoniam hi menses vt noui prioribus additi fuerunt, ea in re pro vltimis habebantur. In cæteris autem veluti in inaugurationibus magistratuum & in quibuscumque negotiis, pro primis anni mensibus habiti sunt ab ipsius Numæ instituto. Quod ex iisdem authoribus facile probari potest. Primum ex ipso Ouidio 1. fastorum.

At Numa nec Ianum nec auitas præterit vmbras,
Mensibus antiquis præposuitque duos.

Deinde ex Plutarcho in Numa, vbi ait, Numam ordinem

ordinem mensium immutasse, & Martio qui ante primus fuerat, tertium locum tribuisse. Item in Mario, vbi ait, eum Calendis Ianuarij, quod initium Romani anni erat ex Africa transuectum, consulatum accepisse. Macrobius quoque ipse 1. Saturn. cap. 14. scribit Numam Februarium secundum mensem instituisse, Februoque Deo qui lustrationum potens credebatur, dicauisse. Sed quid opus pluribus, & in re non dubia vti testibus non necessariis?

Hunc reges tenuere annum num. 16.

Decemuiri cursum Solis à Græcis edocti, tum, credo, cum profecti sunt Athenas legum mutuandarum caussa, vt annus eorum sicut & Græcorum diebus 365. ½. constaret, dies 11. ¼. lunari anno dierum 354. addiderunt: ex quibus ad instar fermè Harpalici cycli per octennium 90. dies conflarunt: sed non ex eis vt Græci, tres menses continuos embolimos fecerunt in fine cuiusque octennij: verum dies illos in 4. partes ita dispensarunt, vt biennio quoque mensis intercalaris prodiret: qui vt scribit Plutarchus in Iulio Cæsare, Mercedonius vocabatur. Et hic quidē mēsis, alternis, scilicet vno ex bienniis, constabat diebus 22. altero 23. interserebántque hos dies inter terminalia & regifugium, post diem 23. Februarij: vt liquet ex Censorino cap. 20. & Macrob. lib. 1. cap. 13. Sed quia post 24. annos compertum est annum 24. diebus abundare, propter diem à rege Numa additū anno lunari in honorem imparis numeri, in fine tertij cuiusque o-

ctennij, 24. dies qui exuperabant, minuerunt ex diebus intercalaribus pro tempore celebrandis: ita vt pro 90. per illud octénium intercalandis, 66. tantum intercalarent, vt loco præfato scribit Macrob. Ex quo nititur Lalamantius elucidare obscurum Liuij locum lib. 1. Decad. 1. vbi ait, Numam annum ad Lunę cursum in 12. menses à se descriptum, intercalaribus mensibus interpositis ita dispensasse, vt vigesimo quoque quarto anno ad metam eandem Solis vnde orsiessent, plenis annorum spatiis dies congruerent. Sed tamen falsum esse Liuium, & Plutarchum qui eum sequutus est, pace tantorum virorum dixerim, ego arbitror, cum ad Numam hoc institutum retulerunt: quippe cum ille aliter annum ordinarit; adieceritque diem anno lunari, vnde error euasit qui posteris emendationi caussam dedit, decemuiris nempe, qui decem tabulis duas addiderunt, vt ex Tuditano & Cassio refert idem Macrobius. Temporibus enim Numæ Romani adhuc rudes & imperiti, nullum cum Gręcis commercium habebant: atque adeo Græci ipsi vixdum Solis cursum ac mensium intercalarium de quibus Liuius loquitur, cognouerant.

Per duo lustra quater gradiens num. 17.

Lustrum toto hoc carmine accipitur pro quadriennio. Licet enim vulgò vsurpetur pro quinquennali spatio, re vera tamen ait Budæus in annot. in pandectas ad l. si quis D. de r eb. credi. quadriennio exacto, & quinto anno ineunte lustrum peractum intelligi debet: sicut & Olympias apud Græcos

quæ nihilominus quinquennis ſæpe appellatur: aſſertque locum ex Plinij hiſt. nat. lib. 1. cap. 47. cuius hæc ſunt verba: Omnium quidem ſi libeat obſeruare minimos ambitus, redire eaſdem vices quadriennio exacto Eudoxus putat: non ventorum modo, ſed & reliquarum tempeſtatum magna ex parte: & eſt principium luſtri eius ſemper intercalari anno caniculæ ortu. At intercalarem annum nemo neſcit biſſextilem & quadriennalem eſſe. Quod etiam apertiſſimè patet ex Cenſorino cap. 18. vbi poſtquam de olympiadibus locutus eſt, quas Pentaëteridas vocari dixit, & eſſe tamen quaternûm annorum circuitus, ita ſcribit.

Idem tempus anni magni Romani fuit, quod luſtrum appellabant, ita quidem à Seruio Tullio inſtitutum, vt quinto quoque anno cenſu ciuium habito luſtrum conderetur.

Ex quibus ſatis conſtat de quinto anno ineunte intelligi. Et paulo poſt ait eundem magnum annum quem antea luſtrũ appellauit, diu intermiſſum fuiſſe, & à Domitiano per Capitolinos agonas fuiſſe reſtitutum: quos quidem agonas ex eodem Cenſorino conſtat biſſextilibus annis fuiſſe celebratos. De quibus tamen loquẽs Suetonius in Domitiano cap. 4. appellat eos quinquennale certamen. Sicque apud authores paſſim reperias Pentaëteridas, & quinquennium dici, quidquid quinto anno ineunte fieri ſolebat. Teſtis eſt Ouidius, quem quidem vtpote virum doctiſſimum, veriſimile non eſt ignoraſſe, Olympiadas, quæ tum in vſu erant, quadrien-

nales esse, vocat ille nihilominus eas quinquennes, atque idem spatium lustri & olympiadis definiuit his verbis lib. 4. de Ponto eleg. 6.

In Scythia nobis quinquennis olympias acta est.
Iam tempus lustri transit in alterius.

Qua de caussa idem Censorinus ait, Trieterida dici, pro Dieteride in honorem liberi patris instituta: Pentaëterida pro Tetraëteride: Enneaëterida pro Octaëteride, qua quidem Pythia certamina in honorem Apollinis Delphici introducta sunt. Sidonius quoq; Apollinaris lib. 4. epistolarũ epist. 24. de vsura centesima loquens quæ 8. annis & 4. mensibus æquat sortem, ait eam per bilustre tempus modum sortis ad duplum adducere. Sic & Ausonius inscripsit de lustralibus agonibus illud epigramma, quo descripsit Græciæ certamina, quæ quarto quoque anno fiebant. Quam sententiam confirmat etiam Gothofredus ad l. 24. D. locati. Qua in re non tamdiu immoratus essem nisi doctissimi viri passim ad hunc lapidem offenderent.

Cæsar dictator adortus num. 18.

Caius Iulius Cæsar dictator, idemque pontifex maximus, & tertiùm consul erat, quando anni correctionem aggressus est, vt ait Censorinus: & annus ab eo correctus qui ad hunc vsque diem permansit ab eius nomine dictus est annus Iulianus.

Quippe à sapientibus olim Ægypti num. 19.

Ægyptij annum auspicati sunt ab ortu caniculæ, scilicet mense Iulio, à quo sidere didicerunt Solis cursum qui tum cum eo iungitur, perfici diebus

365. $\frac{1}{4}$. quoniam tanto ſpatio ſidus illud redit, iungitúrque cum Sole: obſeruabántq; vt ſi primo anno canis oritur hora 6. pomeridiana, ſecundo oriretur media nocte: Tertio hora 6. antemeridiana: quarto hora meridiana: ex quibus 4. diei quadrantibus poſt quatuor annos diem vnum intercalabant: non eodem quidem modo quo Romani, quoniã Thoth primus eorum menſis vagus erat, & in anteriora fugiens percurrebat omnes anni menſes, vno ſcilicet die ſingulis quadrienniis à ſuo capite & initio retardato: ita vt ſi primo anno oriente canicula Thoth incepiſſet 8. calẽdas Auguſti, poſt quadriennium exactum, & quinto anno ineunte incipiẽbat 9. Calendas Auguſti: & ſic deinceps retrò progrediens, donec poſt annum 1460. rurſus inciperet 8. Calendas Auguſti, vt notauit Lalamantius, & poſt eum Scaliger lib. 3. de emend. tempo. Itaque quod diximus in carmine Ægyptios annũ incepiſſe quotannis ab ortu caniculæ, id communem ſententiam ſequuti, diximus: quamquam verius de anno magno quam de anno vertẽte dici debuerit, quando eum cyclum annorum 1460. exorſi ſunt. Poſtea tamen menſis ille Thoth fixus fuit. Nam poſt Actiacam victoriam ab Auguſto reportatam Ægyptij noui principis obſequio deliniti, vt eſt mortalium ingenium ad aſſentationem procliue, annum Iulianum aſſumpſerunt, ſuorúmq; temporum epocham ab ea die inceperunt: vt Hyſpani antea fecerant, qui annorum ſuorum initium duxerunt ab eo anno quo ex prouinciarum partitione inter

Triumuiros facta Hyspania Augusto obtigit: anno scilicet ab vrbe cond. 714. annis 38. ante Christum: eámque supputationem Æram Domini, siue Æram Cæsaris vocauerunt: atque ea deinceps vsi sunt vsque ad annum Christi 1383. quo sub Ioanne 1. Castellæ rege abrogata est, & ad Christi natiuitatem reducta vt, scribit Ioannes Mariana lib. 3. rerum Hyspanica. cap. 24. Sed vt vnde est digressa eo reuertatur oratio: propter diei quadrantes ex obseruatione caniculæ ab Ægyptiis compertos annum intercalarem Græci κυνικὸν. i. canicularem vocauerunt, atque ob illud diei incrementum dictus est annus magnus, ut scribit Censorinus: qui tamen (quod demiror) scripsit Ægyptios nullum habuisse diem intercalarem præter 365. dies, cum Diodorus Sic. lib. 1. & Strabo lib. geographiæ. 17. qui longè antiquiores sunt, contrarium asserant.

Nempe illius instar num. 20.

Suetonius in Iulio Cæsare cap. 40. de anni correctione ita scribit. Conuersus hinc ad ordinandum reip. statum, fastos correxit iampridem vitio pontificum per intercalandi licentiam adeo turbatos, vt neque messium feriæ æstate, neque vindemiarum autumno competerent: annúmque ad cursum Solis accommodauit, vt 365. dierum esset: & intercalario mense sublato, vnus dies quarto quoque anno intercalaretur. Quò autem magis in posterum è Calendis Ianuariis temporum ratio congrueret, inter Nouembrem ac Decembrem interiecit duos

alios, fuitque is annus quo hæc constituebantur 15. mensium cum intercalario qui ex consuetudine in eum annũ inciderat. Hæc ille. Nec est prætereundum quod Plinius scribit lib. 18. hist. nat. cap. 25. Iulium Cæsarem in hac correctione vsum esse Sosigenis astronomi peritissimi opera. Ouidius quoque de anno Iuliano lib. 3. fast. ita scribit.

Is decies senis tercentum & quinque diebus
Iungit, & è pleno tempora quinta die.

Quæ postrema verba de bissexto intellexit, quoniam quadrans diei non erat integer: idcirco quinta tempora, i. quintam partem diei pleni dixit neglectis scilicet scrupulis, vt ait Lalamantius. Verum est tamen Iulium Cæsarem non quintam diei partem, sed quartam addidisse, ex qua diem plenum nempe bissextum post quadriennium exactum conflauit: Sed quia quinto quoque anno redeunte celebrabatur, idcirco forte dixit quinta tempora, vt supra de olympiade & lustro notauimus. Quod autem pontifices non probè bissextum intercalarint, eumq; Augustus ad legitimam rationem redegerit, colligitur tam ex Suetonio in Augusto cap. 30. quam ex Macrobio lib. 1. Satur. cap. 14.

Sic tamen vt Iani inciperet de more Calendis num. 21. Ex his quæ notauimus supra num. 15. & ex loco Suetonij num. 20. patet Ianuarium primum anni mensem fuisse, & ab eius Calendis annum incipere. A qua autem hora dies inciperet, docet nos Plutarchus in problematis, & Paulus iurisconsultus in

l. 8. D. de feriis, vbi ait: More Romano dies à media nocte incipit, & sequentis noctis media nocte finitur. Itaque quidquid in his 24. horis. i. duabus dimidiatis noctibus, & luce media actum est, perinde est quasi quauis hora lucis actum esset. Nunc autem Romani cæteriq; Itali diem incipiunt à Solis occasu. Diuidunt autem Astronomi diem in naturalem & artificialem. Naturalis dies 24. horis constat: Artificialis est ab ortu Solis ad occasum. Sæpissimè etiam dies accipitur pro 12. horis mediam lucem occupantibus, nulla habita ratione noctis. Vt apud Ioannem Euangelistam cap. 11. Nónne sunt 12. horæ diei? Diésque ipse à iurisconsultis diuiditur in 6. horas antemeridianas, & 6. pomeridianas. l. 3. D. de ope. liber. l. 2. D. de annuis lega. Et idcirco in l. 2. D. de verbo sign. dicitur: Cuiusque diei maior pars est horarum 7. primarum diei non supremarum. Vnde Iuuenalis sat. 6.

Inque dies septenis oderit horis.

Et quia post sextum Martis num. 22.

Eadem superstitione qua veteres Romani post 23. diem Februarij inter terminalia & regifugiū mensem intercalarem interserebant, interseruit quoque Cæsar diem intercalarem, quem bissextum vocauit, quod sexto die Calendas Martias repetito qui est 24. dies Februarij celebraretur. Et quamquam id biduum pro vno die haberetur, posterior tamen dies postea intercalatus est, non prior, vt ait Celsus, in l. cùm bissextum 98. D. de verbo signif. Quod autem retulit ibi Celsus Q. Mutium dies om-

nes

nes mensis intercalaris extremo diei mensis Februarij tribuere, intelligendum est de Mercedonio mense, qui Q. Mutij tempore in vsu erat ante correctionem Iulianam: qui quidem cum Februario mensi insitus esset, neque ipsa (quanquam sub alio nomine) numerum dierum eius mensis augeret, liberum cuique fuit siue extremo, siue alij diei mensis tribuere. Sed tamen ob veteres ritus terminaliorum & intercalationum, dies illi post 23. diem Februarij interiecti fuerunt, vt scilicet Februarium omnino Martius sequeretur vt præfato loco scribit Macrobius. Nec aliam ob caussam intercalaris dies à Iulio Cæsare eodē loco positus est, bissextiq; nomen ad hoc vsque tempus retinuit. Et eum quidem diem vt Marcellus in l. 2. D. de diuers. temp. præscript. appellat intercalarē: sic & mensis Februarius, quod illo fieret intercalatio, intercalaris vocatus in d. l. 98. D. de verbo sign. Sic & annus bissextilis & intercalaris vocatur, qui scilicet constat diebus 366. cum annus communis 365. tantum constet. Cur vero Calēdæ Romanorum ordine retrogrado in fine mensis computentur, Lalamantius putat id à Græcorum consuetudine petitum fuisse, qui vltimam mensis partem ita numerabant. Nam vt Romani in Calendas, Nonas, & Idus: sic illi in tres decadas mensem diuidebant. Prima quidem μηνὸς ἱσαμένου. i. mensis instantis dicebatur. Secunda μηνὸς μεσοῦντος. i. mensis medij. Tertia μηνὸς φθίνοντος. i. mensis desinentis. Primus autem dies primæ decadis νουμηνία, hoc est, noua luna dicebatur.

Secundus, δευτέρα ἱσταμένου: Tertius, τρίτη ἱσταμένου, & ſic deinceps vſque ad δεκάτην ἱσταμένου, i. decimam inſtantis. Secundæ decadis primus dies, πρώτη ἐπὶ δέκα μεσοῦντος. Secundus, δευτέρα ἐπὶ δέκα μεσοῦντος, & ſic deinceps vſque ad εἰκάδα, ſeu, εἰκοστὴν, i. vigeſimam. Tertiam autem decadem duplici modo numerabant. Aut enim primus eius dies, πρώτη ἐπὶ εἰκάδι, dicebatur, i. prima poſt vigeſimam: Aut vt refert Plutarchus in Solone, ex ipſius Solonis inſtituto, qui fuit communis loquendi vſus, δεκάτη φθίνοντος, i. decima deſinentis: Secundus ἐνάτη φθίνοντος, i. nona deſinentis: & ſic deinceps imminuendo ſemper numeros, imitatione lunæ quæ decreſcit in dies vſque ad trigeſimum, qui ἕνη καὶ νέα dicebatur, vt antea diximus. Vnde etiam Plato in Cratylo vocabuli μεὶς quod menſem ſignificat etymologiam ducit: nempe à verbo μειοῦσθαι, i. diminuendo. Cum igitur primus dies Martij menſis, Calendis ſimpliciter ſignetur, dies vltimus antecedentis menſis, nempe Februarij, dicetur pridie Calendas Martias: penultimus tertio Calendas: & ſic deinceps ordine retrogrado, augendo in anteriora, & imminuendo in poſteriora, more Græcorum: ſed vlterius, nempe vſque ad Idus quæ decimo tertio cuiuſque menſis aſſignantur, præterquam in Martio, Maio, Iulio & Octobri, quibus menſibus Idus decimo quinto ſignantur, propterea quod hi menſes 6. habent Nonas: Alij autem omnes quatuor tantùm, quolibet menſe octo Idus habente. In menſibus autem habentibus 4. tantum Nonas, ſcilicet Ianuario, Fe-

bruario, Aprili, Iunio, Augusto, Septembri, Nouembri, & Decembri, secundus dies signatur quarto Nonas: Tertius tertiò Nonas: quartus pridie Nonas. Quintus vero Nonis. Sextus octauo Idus, & sic deinceps imminuendo, vsque ad decimumtertium, qui signatur Idibus: post quem dies numerari incipiunt per Calendas mensis sequentis. In aliis autem 4. mensibus 6. Nonas habentibus, secundus dies signatur sexto Nonas: Octauus vero, octauo Idus: & sic deinceps eadem methodo qua suprà. Sciendum est autem cum præpositiones (ante) vel (post) in Calendis adiiciuntur, aliud significare. Qui enim simpliciter dicit decimo Calendas, intelligitur semper dicere decimo ante Calendas, die tamen Calendarum in illis decem comprehenso ex communi vsu loquendi. Sed qui dicit ante diem decimum Calendarum de antecedenti die nempe de vndecimo Calendas dicere intelligitur. Et qui dicit post decimum diem Calendarum de die subsequenti nempe de nono Calendas dicere intelligendus est, vt colligitur ex l. anniculus 132. De verbo signif. Quæ lex valde torsit egregios Iurisconsultos Alciatum, Budæum, & Cuiacium: sed eius nodum bellissimè soluit Gothofredus ad eam legem noua lectione ex manuscripto allata.

Legitimique dies. num. 23.

Non sine diuina prouidentia factum est, vt annus à Iulio Cæsare emendatus, isque non probè secundum eius mentem obseruatus, ab Augusto demum ad suam rationem redactus fuerit ante Christi na-

tiuitatem. Nisi enim hoc factum fuisset, haud fuisset possibile in illa mensium inæqualium ac mensium embolimæorum confusione dignoscere vera tempora conceptionis & natiuitatis Messiæ. quæ quidem eius emendationis beneficio patefecerunt tempus pariendi naturale & legitimum extitisse, & à 25 Martij, quo Angelus beatæ Virgini conceptionem instantem nunciauit, ad 25. Decemb. quo natus est saluator, dies 274. exactos effluxisse, qui dodrantem anni siue 9. menses solares efficiunt.

Ni tandem sex atque decem post secla num. 24.

Ab anno correctionis Iulianæ, ad annum correctionis Gregorianæ numerantur anni 1626. Annis enim Christi 1582. addendi sunt anni 44. à tertio Iulij Cæsaris consulatu, quem cum M. Æmilio Lepido gessit, qui fuit annus correctionis, vsque ad annum 42. imperij Augusti, quo Christum natum esse asserimus ex communi omnium ferè scriptorum sententia, maxime Epiphanij lib. 2. hær. 51. & fastis eccles. vbi natus esse dicitur Augusto 13. & Siluano coss. anno ab vrbe cond. 752. olymp. 194. Quod probatur ex Lucæ cap. 3. scribentis anno 15. Tiberij Cæsaris Iesum incepisse trigesimum ætatis annum. Cum enim Augustus 56. annis imperauerit, necesse est vt prior annus Christi cadat in 42. Imperij Augusti. Hunc autem anni Iuliani calculũ non variasse ab eo tempore, ex veterum scriptis patet, vbi idem anni modus deprehẽditur, maximeq; ex libris Iurisconsultorũ, in quibus sæpe fit mentio de numero dierum 365. & de die intercalari, vt in l.

51. D. ad legem Aquiliam, l. 4. D. de statu liberis. l. 98. & 3,4. D. de verbo signif.

Nihili licet antea pensum Romanis num. 25.

Quod diei quadranti annuo aliquid deesset, non fuisse incognitum Romanis tempore correctionis Julianę ex eorum etiam libris colligitur: vt ex Marco Tullio qui lib. 2. de natura Deorum, ita scribit: Circuitus Solis orbium quinq; & sexaginta, & trecentorum quarta ferè diei parte addita conuersionem faciunt annuam. Sed quia perquam difficile erat æquales annos statuere, & eiusmodi fragmentorum quæ deerant habere rationem, ea neglexerunt: & posteris quando pretium operæ foret, altiorem indaginem reliquerunt.

Huic operi accingit sese Gregorius num. 26.

Gregorius 13. suscepta Calendarij emendandi cura, quasi ea solis pontificibus Romanis incumberet, vt iam sub Ethnicis pontificibus Iulio & Augusto fuerat factitatum, cum per aliquot annos per peritissimos astronomos huic rei operam dedisset, misit ad principes christianos & celebriores Academias anno 1577. compendium nouæ rationis restituendi Calendarij Romani ab Aloysio Lilio compositæ per nouum epactarum cyclum ad certam aurei numeri normam directum, & ad quamcunque anni solaris magnitudinem accommodatum: quo ab omnibus comprobato, & tota re ad arbitrium summi pontificis relata, tandem ipse Gregorius anno 1582. Calendarium correctionis emisit.

Quùm Deus electi populi num. 27.

De hac re præceptum eſt Exod. cap. 12. Leuit. cap. 23. num. cap. 9. & 28.

Iámque horas cernere cœlo num. 28.

De æquinoctio ſcriptura ſacra non loquitur, ſed colligitur ex traditionibus veterum Iudæorum; nempe ex Agathobulo & Ariſtobulo, vt refert Euſebius lib. 7. hiſt. eccle. cap. 29. Itémque ex Philone libro de mundi opificio. Et Ioſepho lib. 3. antiquit. cap. 13. Quod etiam colligi poteſt ex Exodi cap. 13. & Deuteronomij cap. 16. vbi verſio D. Hieronymi ſic habet. Obſerua menſem nouarum frugum & verni primum temporis, vt facias Phaſe domino tuo. At vero primo verni temporis menſe æquinoctium fieri ſatis perſpicuum eſt.

Hunc Deus edixit menſem num. 29.

Aſtronomi quoque à menſe Martio annum auſpicantur, nempe ab ęquinoctio verno, quod eo menſe fit. Quod etiam Galli fecerunt ſecundum veterem ritum Eccleſiaſticum, vſque ad annum 1564. vt patet ex edicto Caroli 9. anno 1563. promulgato. Antea enim ſuum annum à paſcha incipiebant. Et quia neque dies neque menſis paſchalis fixus erat, vt nec hodie eſt propter mobilem eius ſedem, atque ideo de his quæ circa id tempus anni geſta vel contracta erant, dubitari potuiſſet quo anno geſta eſſent, in more poſitum erat in omnibus quibuſcumque actis ſiue publicis, ſiue priuatis, à 21. Martij ad 26. Aprilis celebratis hanc clauſulam apponere, ante Paſcha, vel poſt Paſcha. Quam etiam anni epocham Belgæ habuerunt vſque ad annum 1577.

Donec adimpleſſet legis mandata prioris num. 30.
Vide infra num. 33.
Tempora Victoris num. 31.

Ne quis putet Chriſtianos Iudęorum ritus hac in re ſectari, cum paſchalia feſta ſint non tantum de genere cæremonialium, ſed etiam figuralium, nihil ex his omnino retinuimus præter ſimilitudinem quandam. Vt enim illi in memoriam reditus ab Ægypto paſcha celebrabant propter immolationem agni, qui mortem Chriſti futuram demonſtrabat: ita nos maiori ratione commemorare debuimus myſterium diuinæ reſurrectionis, quod in die paſchatis celebramus: ſine qua, vt ait Apoſtolus, vana eſſet fides noſtra, & mors Chriſti inutilis foret: idque non in 14. luna, vt Iudæi, multique olim chriſtiani hæretici, ob id quartadecimani vocati, ſed in die Dominico proximo eam inſequenti quo Chriſtus reuiuixit, vt ſtatutum fuit à patribus. De qua re extat decretum Pij Papæ, qui ſedit circa annum Domini 159. in cap. noſſe. De conſecrat. diſtinct. 3. Itémque decretum B. Victoris, qui ſedit circa annum 198. in cap. celebritatem. ibidem. Quod paulo poſt in concilio Cæſarienſi ſub eodem pontifice habito confirmatum eſt, vt refert Euſebius lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 23. poſteaque etiam à concilio Niceno, vt refert Socrates lib. 1. cap. 6. & Theodoretus lib. 1. cap. 9. & Beda lib. 3. hiſt. Eccl. gentis Anglorum cap. 25.

Hunc igitur patres num. 32.

In exquirenda die paſchali quatuor ſunt atten-

denda: Æquinoctium vernum, seu solis ingressus in arietem: primus mensis, seu prima lunatio more Hebræorum: decimusquartus dies Lunæ primi mensis: & dies Dominicus qui proximè cõsequitur diem decimum quartum lunæ, quo quidem pascha celebrari debet. Quantum ad æquinoctium attinet, certa ei sedes assignata fuit à patribus concilij Niceni in die 12. Calendas Aprilis, qui est dies 21. mensis Martij, quo die à peritissimis astronomis eo tempore æquinoctium obseruatum fuit. Primus autem mensis seu prima lunatio, quæ rectius luna paschalis dici potest, ea est, cuius decimaquarta luna, vel cadit in diem verni æquinoctij, vel ei proximè succedit: vt Gregorius definit in decreto noui Calendarij. Huic enim mensi quia necesse est vt aliqua sui parte concurrat cum æquinoctio verno, vel saltem cum signo Arietis, sub quo fit æquinoctium, præfiniti sunt certi dies, à quibus posset incipere, nempe ab 8. Martij, vsque ad 5. diem Aprilis: atq; ita necesse esset decimumquartum ipsius cadere in aliquem dierum à 21. Martij vsque ad 18. Aprilis inclusiuè. Itaque si forte contigerit, vt 14. dies alicuius lunæ incidat in 21. Martij, qui est dies æquinoctij, dies ille procul dubio dicetur 14. dies lunæ primi mensis: quia ab 8. Martij à quo potuit incipere, vsque ad 21. numerantur 14. dies. Si vero hoc non contingat, (vt sæpissimè) quicumque dies 14. lunæ prior occurret post æquinoctium, siue incidat in Martium, siue in Aprilem, dicetur 14. primi mensis, cum lunatio illa inceperit ab vno ex supradi-

prædictis diebus. V.g. Anno 1600. dies 14. lunæ qui incidit in 29. Martij primo mensi tributus est: fuitque pascha sequenti die dominico, nempe 2. Aprilis: quia non fuit alius qui prior occurrerit post æquinoctium, incepítque lunatio illa à die 16. Martij, qui est vnus ex illis diebus à quibus incipere potuit. Similiter anno sequente 1601. 14. dies Lunæ qui incidit in 17. Aprilis primo mensi tributus est, fuitque pascha proximo die dominico, nempe 22. Aprilis quoniam die illo 17. occurrit prior 14. Luna post æquinoctium, incepítque Lunatio illa à die 4. Aprilis qui est vnus ex supra dictis diebus, neque antea incipere potuit, quia cum 14. dies præcedentis lunationis contigerit ante diem æquinoctij, oportuit eam lunationem expleri antequam lunatio paschalis, seu primi mensis inciperet. Rursum in anno 1617. quia Lunatio vna incipiet ab 8. die Martij, & consequenter dies 14. illius incidet in diem æquinoctij siue 21. Martij, tribuetur ille 14. dies primo mensi, fiétque pascha sequenti die dominico videlicet 26. Martij: & sic de cæteris. Sciendum est autem, quòd si contigerit 14. Lunam primi mensis in diem dominicum incidere, tunc pascha celebrari die dominico sequente. Cum enim Christus passus sit die 14. lunæ, & resurrexerit die dominico sequenti; nos autem non passionis, sed resurrectionis pascha celebremus, æquum fuit non in die passionis sed in die dominico sequenti eius commemorationem facere. Nec refert si sequens dies dominicus 15. Lunæ extiterit, cùm eo die fiat oppositio

luminarium, quod sufficit ex decretis patrum: sitque ille dies vnus ex 8. primi mensis sanctificatis à Deo Exod. cap. 12. & Leuit. cap. 23. quibus pręcepit Iudæis agnum & azyma comedere: videlicet à 14. Luna ad 21. è quibus ecclesia Cristiana exemit tantum decimumquartum à festiuitate paschali, vt patet ex d. cap. celebritatem: vbi postquam B. Victor die dominico pascha celebrari debere dixit, statuit eam festiuitatem diei dominicę paschalis fieri à 14. Luna (exclusiuè scilicet) primi mensis ad 21. Lunam eiusdem mensis. Quod etiam apertè docet B. Isidorus Hispalēsis lib. 1. de ecclesiasticis officijs cap. 31. cum ait. In tertia hebdomada lunæ pascha celebratur. i. qui dies occurrerit dominicus à quinto decimo in vigesimum primum Vnde Theophilus Cæsariensis episcopus, qui longe ante Isidorum vixerat, interfuitque concilio Cæsariensi habito 200. annis post Christum, de hac re loquens in sua epistola synodali appellat eos dies septē lunas consecratas. At vero si expectandus esset dies alter dominicus post diem dominicum in 15. diem lunæ incidentem, cōtingeret vt pascha contra ecclesiæ decretum post 21. diem primi mensis ageretur, die scilicet 22. de qua re copiosè scripsit Clauius in explicatione calendarij Roma. cap. 1. Est autem sciendum in habenda ratione 14. Lunæ primam Lunam dici non eo die pręcisè quo cum Sole iungitur, i. quo fit nouilunium celeste, sed die sequenti, vt plurimum, quo incipit apparere in cœlo. Ad hunc enim diem, quoad fieri potuit, directi sunt cycli pa-

ſchales ſecundum curſum Lunæ medium, vt notauit ibidẽ Clauius, & cap. 18. iuxta antiquum eccleſiæ vſum, quem refert ex Beda lib. de ratio tempo. cap. 40. & Campano in computo maiori cap. 28. Quem etiam fuiſſe vſum Chaldæorum & Iudæorum teſtatur Scaliger lib. 1. de emend. temp. qui non vt Athenienſes ἀπὸ τῆς συνόδου σελήνης ſed ἀπὸ τῆς φάσεως menſem lunarem incipiebant.

Donec adimpleſſet legis mandata prioris, num. 13. Plura dubia hic occurrũt, quibus videri poſſit Chriſtum non ſecũdum legis præceptum celebraſſe paſcha. Primum quod 14. die primi menſis id non fecerit, vt Exod. cap. 12. & 13. Leuit. 23. & Nume. 28. præceptum erat, ſed 2. die azymorum, qui erat dies 16. menſis. Nec etiam eodem die quo agnus fuerat immolatus, cum manducauerit, vt par erat. Primo enim die azymorum qui erat 15. dies, diſcipuli ante veſperam parauerunt cœnam: Marci cap. 14. Lucæ cap. 22. & conſequenter neceſſe fuit agnum prius immolaſſe. Veſpere autem facto, incipiente ſcilicet ſecundo die azymorũ Chriſtus manducauit agnum cum diſcipulis: Diem enim incipiebant Iudæi à ſolis occaſu: Qua in re etiam non videtur adimpleſſe legem: quia cum immolatio agni typus eſſet Chriſti immolationis ad crucẽ, videbatur eodem die Chriſtus immolari debuiſſe, quo agnus. Quod autem primus dies azymorum decimo quinto diei primi menſis addictus eſſet, atque immediatè paſchalem diem ſequeretur, patet ex Leuit. cap. 23. & Nume. cap. 28. Et licet paſchali etiam die azyma come-

derentur in cœna paſchali, alio tamē nomine nempe paſchatis, dies ille cenſebatur, nec annumerabatur inter 7. illos dies azymorum de quibus toties in ſupradictis locis fit mentio. Si enim dies paſchalis annumeraretur inter illos 7. diéſq; illi 7. inciperent à 14. die, procul dubio finirentur die vigeſima menſis ad veſperam. Et tamen certum eſt eos durare vſque ad finem vigeſimi primi eiuſdem menſis, vt ex eodem loco Exodi cap. 12. planum eſt. Porro licet in cœna paſchali Iudæi panes azymos comederent, tamē ex illis locis non paret fuiſſe prohibitum reliqua diei parte vti panibus fermentatis, vt de alijs 7. lata erat lex prohibitoria & pœnalis. Denique quando in Leuit. cap. 23. & Nume. cap. 28. de diebus azymorum fit mentio, de 14. die primi menſis nullus eſt ſermo, diciturque ſimpliciter 15. die ſolennitatem azymorum eſſe domino, iubenturque per 7. dies panibus non fermentatis veſci, quorum die primo fieret conuocatio ſancta, atque ab omni ſeruili opere abſtinerent. At vero dies quo immolabatur agnus non erat feſtiuus neque ἄπρακτος. Itaq; cum inter dies azymorum annumerari non potuerit, vix dici poſſe videbatur Chriſtū ſecundum legis ritum paſcha celebraſſe. Secundum dubium eſt, quod Romana eccleſia feria quinta, ſeu die Iouis, cœnæ dominicæ commemorationem faciat, mortis autem & paſſionis feria 6. ſeu die Veneris: quaſi non in vno die ſed duobus hæc peracta fuerint, vnde in canone miſſæ dicitur pridie quam pateretur cœnam feciſſe. Tertium quod non in die Paſchæ

nec eodem die quo Iudæi, ſed pridie paſchæ, & in paraſceue, qui dies antecedebat feſtum paſchæ, agnum manducauerit, Ioannis cap. 18. & 19. vbi etiam dicit Iudæos non introiſſe in prætorium vt non contaminarentur, ſed vt manducarent paſcha. Quantum ad primum attinet, cum de primo die azymorum fit mentio, hoc etiam intelligendum eſt de 14. die primi menſis, quo quidem fiebat agni paſchalis immolatio atque manducatio. Licet enim primus dies azymorum ex veteri lege inciperet 15. die tantum, eoque fieret paſchalis feſtiuitas (Verum eſt enim quod decimuſquartus non erat feſtiuus neque ἀπεργακτος) tamen propterea quod eo etiam die ex præcepto legis azymi panes comedebantur in cœna paſchali, Iudæi tractu temporis eum diem inter dies azymorum retulerunt. Et iam non 7. dies azymorum, vt toties lege ſancitum erat, ſed octo numerauerunt, vt ex Ioſepho lib. 2. antiqui. cap. 5. colligi poteſt, eumque diem qui in 14. menſis incidebat, primum azymorum dixit Marcus, quia 15. diem qui olim primus azymorũ dicebatur, antecedebat. Quòd verò ante veſperum agnus fuerit immolatus, poſt veſperum autem manducatus, quanquam hæc duo interualla duos dies deſignare videantur, accipi tamen debent pro vno eodemq; die, nempe pro 14. die menſis, & primo azymorum, vt tunc numerabant, eius ſcilicet diei initio. Veſpera enim apud Hebręos erat duplex, Prima & ſecunda: quarum intermedio tempore paſcha immolare iubebantur Exodi 12. & Leuit. 23. vt ex voce He-

braïca בין הערבים ben haharbaim patet, quam Rabini interpretati ſunt inter duas veſperas, & rectè, cum ſit dualis numeri. Quidà autē ex illis vt R. Kimhi ait primam veſperam incipere quando Sol verſus occidentem declinare incipit: Secundam, poſt Solis occaſum. Alij verò vt Aben Ezra dicunt primamq; veſperam eſſe tempus illud quod mox ſequitur poſt Solis occaſum, à quo Iudæi ſuum diem incipiunt: alteram quando radij ſolares poſt Solis occaſum amplius in nubibus videri nequeūt: quod quidem interuallum de crepuſculo veſpertino intellexit. Quæ ſententia ſanè probabilior eſt, quandoquidem tempus quo mactari agnus debebat, inter duas veſperas circumſcriptum erat: Tempus vero quo manducari debebat, Moſes appellat noctem, Exod. 12. Nox autem verè non dicitur, niſi deſinente crepuſculo, & vt ait Virgilius,

Vbi cœlum condidit vmbra
Iuppiter, & rebus nox abſtulit atra colorem.

Itaque in crepuſculi interuallo poterat agnus immolari & parari ad cœnam, poſt veſperam autem manducari. Licet enim æquinoctiali tempore crepuſculum breue eſt, durat tamen etiam in Hieroſolymitano climate hora vna & quaſi dimidia, vt probatur ex tabulis aſtronomicis. Cum igitur euangeliſtæ aiunt Chriſtum veſpere facto manducaſſe paſcha, de ſecunda veſpera & ruente nocte intellexerunt. Nec poſſum in eorum ſententiam adduci qui veſperam primam incipere exiſtimant ab hora nona ſeu tertia pomeridiana. Veſpera enim à veſ-

pero dicta ab omnibus vsurpatur pro tempore quo vesper seu Veneris stella lucere incipit, nempe occaso Sole: vnde poëta,

diem clauso componet vesper olympo.

Quod vero ecclesia Romana dominicæ cœnæ commemorationem faciat die Iouis, mortis autem & passionis die Veneris, non idcirco existimat duobus diebus hæc mysteria peracta fuisse: At die Veneris tantum. Sed quia, vt iam dictum est, Iudæi diem incipiebant à Solis occasu, dies ille Veneris quo Christus passus est, cum incepisset à Solis occasu eius diei quem nos Galli, sicut & olim Romani, diem Iouis appellamus, vtpote incipientes diem à media tantum nocte, Christus non pridie quidem quam pateretur, vt loquendo more Romano scriptum est in canone, sed in eiusdẽ diei initio, nempe post Solis occasum, & vespere facto cœnam celebrauit: Deinde secessit in montem oliuarum, vbi circa mediam noctem captus à Iudæis, ductus ad Caipham & Pilatum; tandem vero sub eiusdem diei finem circa horam nonam seu tertiam pomeridianã, supputando more nostro, ex hac vita migrauit, ac deinde ante Solis occasum sepulturæ mandatus est: instabat enim sabbatum, quo nihil horum quidquã facere fas erat. Quod autem obijcitur Christum non eodem die quo Iudæi, sed in parasceue paschæ & antefesto, pascha celebrasse: verum est Iudæos pascha celebrasse postridie dominicæ passionis: sed duplex erat pascha à lege introductum, vt notauit Scaliger lib. 6. de emend. temp. Primum, quo im-

molabatur & manducabatur agnus paſchalis per familias & in priuatis ædibus, quod die 14. primi mẽſis fiebat: & illud quidem Chriſtus atque ipſi etiam Iudæi illo ipſo die celebrarũt, vt ex Marci cap. 14. elici poteſt ex his verbis. Et primo die azymorum quando paſcha immolabant, diſcipuli dixerunt ei: Quò vis eamus vt paremus & manducemus paſcha? Et ex Lucæ 22. his verbis: Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi paſcha. Ex quibus verbis palam eſt, iam ſole occaſo, & incepto die, Iudæis iam immolare paſcha incipientibus, id ſciſcitatos eſſe ex Chriſto, & horam iam feſtinandi neceſſitatem imponere. Alterum paſcha erat quod 15. die primi menſis, qui olim primus dies azymorum erat, celebrabatur in templo: ibique non vnus agnus, ſed iuuenci duo cum ariete & ſeptem agnis & hœdo offerebantur, vt probatur ex Leuit. cap. 23. & Deuetero. cap. 16. ex quibus locis modo ſimul perlegantur, tota res facilè eluceſcit, parétque vtrumque dici paſcha, vtrumq; immolari, vtrumq; manducari. Differre tamen tempore ſeu die, loco, numero & qualitate oſtiarum differre etiam die qualitate. Prior enim dies quo immolabatur agnus, non erat feſtiuus vt poſterior. Quocirca priore inclinãte fiebat paraſceue ſeu præparatio eorum quæ ad victum & ſacrificia paſchatis craſtini pertinebant: & de hoc ſecundo paſchate intellexit Ioannes, cùm de paraſceue paſchæ non ſemel locutus eſt, & cum dixit Iudæos non introiſſe in prætorium, ne contaminarentur, ſed vt manducarent paſcha; quod quidem

quia

quia eo anno in ſabbatum incurrebat, propterea dixit magnum illud eſſe ſabbatũ, vt pote ſabbatum duplex, quia feſta ſolennia dicebantur quoque ſabbata, quemadmodum ſeptimus quiſque dies. Hic vero prætereundum non eſt, quod notauit idem Scaliger, Iudæos in more habuiſſe poſt cœnam paſchalem vti cœna dimiſſoria & Euchariſtica, quaſi loco bellariorum: atque habuiſſe ſub gauſape, vel mappa tortã azymam quam paterfamilias adiecta benedictionis formula in tot fruſta frangebat, quot in contubernio conuictores erant, quibus ſigillatim & ordine porrigebat, ac deinde poculum à ſe deguſtatum tradebat proximo diſcumbenti: deinde alter alteri, donec per totum conuiuium circumferretur: vocabaturque poculum hymni: quod eo per cœnam circumlato accinebatur vnus ex pſalmis Dauidicis. Quæ quidem ſi vera ſunt, vt ex rituali Iudæorum probare nititur Scaliger, certè typum gerebat Euchariſticæ cœnæ, quam poſt cœnam paſchalem Dominus nouum teſtamentum condẽs fecit cum diſcipulis, dum ſub ſpeciebus panis & vini eis pretioſiſſimum corpus ſuum & ſanguinem epulandum dedit. Quoniam vero ſupra de hora nona facta eſt mentio, illud obiter ſciendum eſt, quod apud Iudæos ſicut nox diuidebatur in 4. vigilias, ſeu militum excubias, quorum cohortes viciſſim ſtabant ad cuſtodiam: ſic dies in 4. horas: quarum quæque 3. horas complectebatur. Prima quidem 3. illas horas quæ à 6. noſtra matutina ad nonam numerantur: tertia quæ à nona ad meri-

diem : ſexta quæ à meridie ad tertiam : nona quæ à tertia pomeridiana ad ſextam veſpertinam. Et quidquid fiebat hoc trium horarum ſpatio, denominationem temporis accipiebat ab illa hora ex his quatuor, intra quam fiebat.

Ergo dies ſemel affirmant num. 34.
Criſtophorus Clauius mathematicus inſignis, ait in ſua ſphæra abſcindendos fuiſſe 12. circiter dies niſi iam à concilio Niceno æquinoctiũ vernum reductum fuiſſet ad diem 21. Martij. Itaque cum tempore correctionis Gregorianæ æquinoctium fieret circa initium diei 11. Martij ob dies ſuperfluos qui in annos irrepſerant, ſufficere viſum eſt detrahere 10. dies, vt ad 21. Martij æquinoctium illud retraheretur iuxta concilium Nicenum.

Et non æqua licet num. 35.
Anno tropico vti Eccleſiam neque fuit æquum neque conſentaneum : tum propter inæqualitatem motus Solis, qui non ſemper prorſus eodem temporis ſpatio omnibus annis progreditur, ſed modo aliquot ſcrupulis horarijs plus, modo minus : vnde propter anomaliam æquinoctiorum poſt aliquot ſecula, nempe poſt annos 1717. & dies 302. æquinoctium poteſt recedere à media ſede ſua vno die & quadrante diei, vel circa finem menſis, vel circa initium : vt colligit Clauius ex Nicolao Copernico celeberrimo mathematico, ex cuius doctrina tabulæ quæ Prutenicæ dicuntur conſtructæ ſunt, & ab omnibus nunc receptæ. Tum etiam propter 5. horas & 49. ſcrupulos horarios cum 16. ſecundis qui-

bus annuus Solis cursus excedit 365. dies, ex quibus potissimum 5. horis & scrupulis accidit, vt eodem semper die æquinoctium fieri non possit. v. g. Si primo anno æquinoctium fiat hora 8. post meridiem, anno secundo fiet hora 1. matutina cum aliquot scrupulis: & sic deinceps adiiciendo semper integris diebus 5. horas, & scrupulos, ex quibus quarto quoque anno dies intercalares, seu bissextiles conficiuntur. Et si ad amussim annum tropicum in habendis rationibus anni vulgaris sequeremur, oriretur inde conturbatio annorum, temporum mensium & dierum: & epocha tum anni, tum etiam dierum & mensium modo inciperet ab vna hora vel momento, modo ab altera. Sed nec de his quidem momentis astronomi inter se consentiunt. Itaque ne Ecclesia penderet ex incerto arbitrio astronomorum, vtque vno eodémque die per vniuersum orbem pascha celebraretur, æquius fuit medios solis motus sequendo semel statuere certam sedem æquinoctij, quantum fieri potuit veris motibus congruentem: & annum æquare modo per additionē dierum bissextiliũ, modo per detractionem. Sed nec motibus quidem medijs ita præcisè se Ecclesia obstrinxit, vt ab illis ne latum quidem vnguem discedere liceret, sed vsa est cyclis modo veris motibus, modo medijs proximis, quantum id pati potuit natura cycli, qui non nisi ex diebus integris confici potest, vt normā aliquam certam & immutabilem sequeretur, nec res tanti ponderis in incerto maneret. Denique necesse fuit ra-

tiones temporum ad vſum populi accommodare.

Quocumque ſub aſtro num. 36.

Abſurdum forte cuipiam videri poſſit, vno codémque die per vniuerſum orbẽ paſcha celebrari, cum æquinoctium vernum eodem tempore fieri non poſſit vbique terrarum. Quod enim nobis in boreali hemiſphærio vernum æquinoctium eſt, illud eſt autumnale iis qui partes auſtrales habitant. Sed cum præceptum diuinum nullam de æquinoctio mentionem fecerit, ſed lunam tantummodo primi menſis Hebręorum deſignauerit, in quam quidem incidit vernum æquinoctium, vel ab ea non longe abeſt, habenda fuit ratio eius æquinoctij quod eo menſe fit in illa regione quam Deus habitandam Hebræis dederat, nempe in Palæſtina, vbi pręceperat Deus paſcha immolari, quæ in Septemtrionali hemiſpherio eſt: in quo etiam Chriſtus paſſus eſt, & à mortuis reſurrexit. Quod vero pertinet ad diem Dominicum proximè ſequentem diem 14. lunæ, quo paſcha celebrari debet, nihil etiam obeſſe debet climatum & meridianorum diuerſitas. Cum enim die illo Dominico vt aliis diebus Sol 24. horarum ſpatio motu rapido totum terrarum orbem colluſtret, vnaquæque regio, diuerſis quidem horis diem illum incipiens, celebrare poterit. Hoc autem ita fuiſſe inſtitutum à patribus concilij Niceni teſtatur D. Ambroſius epiſt 83. Idémq; poſtea confirmatum fuiſſe in concilio Arelatenſi primo, & Carthaginenſi quarto, patet ex diſtinctio. 3. De conſecratione cap. de obſeruatione, & cap.

paschæ. Quod autem subiicitur in carmine de orbe nouo, quia non ita paucis explicari potest, de ea re paulo latius dicemus in fine harum annotationum sub num. 54.

Ergo iterum ne luxuries num. 37.

In cyclo Gregoriano qui constat annis 400. omittuntur tres dies intercalares, seu bissextiles, idque in tribus primis annis centesimis huius cycli: qui quidem incipit ab anno 1601. Ita vt in annis 1700. 1800. 1900. bissextus omittatur. Anno verò 2000. qui est quartus & vltimus centesimus cycli, bissextus celebretur, & sic deinceps in perpetuum. Assumpti autem sunt ad eam æquationem faciendam anni centesimi ad faciliorem methodum: tum quia anni sunt intercalares, nec die intercalari omisso idcirco annus minor videri potest: tum etiam quia anni illi tamquam Iubilæi, & celebriores non facile sinent bissexti omittendi memoriam effluere. Deniq; licet fragmenta quæ desunt diei quadranti annuo, quæ sextam & paulo amplius vnius horæ partem efficiunt, simul collecta diem integrum efficere non possint nisi post 134. annos vel circa, ratione habita mediæ solaris anni magnitudinis: & ita videri possit tantum temporis spatium expectandum fuisse ad eam intercalationem omittendam: Tamen quoniam æquatio anni ciuilis, quæ nisi ex integris diebus fieri nequit, non potest adamussim æquationi tropicæ & veræ respōdere, propter tot annorum numerum in illa æquationis periodo currentium, ea sequenda potius fuit æqua-

tionis forma quæ commodius seruat æquinoctium in sua sede, vt est ea, quæ fit in annis centesimis, quam ea quæ fit in annis 134. quæ illud deturbat ac deiicit, vt patet ex calculis astronomicis & rationibus à Clauio allatis in suo Calendario.

A Iano epactas suadent num. 38.
De epactis & numero aureo vide infra nu. 41. 42. 43. 44. 45. 46.

Et licet à punctis nu. 39.
Dies 10. integri præcisè detrahendi non erant ad æquinoctium in pristinam sedem reducendum: nam si illud rectè positum fuerat à concilio Niceno anno Christi 325. habito, quoniam quæ desunt ex diei quadrante annuo non efficiunt diem integrum, nisi post 134. annos, sequitur non potuisse efficere 10. dies nisi post annos 1340. Atqui ab anno 325. vsque ad annum correctionis 1582. subducuntur anni tantum 1257. Itaque videbantur detrahendi tantum dies 9. horæ 9. cum aliquot scrupulis. Sed quia per eam correctionem æquatio anni solaris per omissionem 3. bissextorum in annis 400. non incipit nisi ab anno 1601. Primum huic calculo adiiciendi sunt anni 18. cum tribus ferè mensibus, qui eam detractionem augent horis tribus cum aliquot scrupulis; deinde necessitas cycli quæ dies integros postulabat, cogere potuit illas superfluas horas semel negligere, quæ ad tractum temporis non pertinebant. Tertiò horarum circiter 11. detractio semel facta non mutat æquinoctij diem, qui quidem constat horis 24. Veréque

& naturaliter æquinoctium incidit, non in vnum diem tantum, sed in duos, propter continuum augmentum 6. ferè horarum, quas conficit Sol quotannis præter dies integros. Quarto illa anticipatio horarum aliquatenus restituitur, per anticipationem quæ fit singulis quadrienniis eius quod deest, de illis 6. horis cuius æquatio non fit, nisi post annos centesimos, & quandoque ducentesimos. Sed his omissis ratiociniis, fieri potest vt positio æquinoctij à concilio Niceno facta non ita iusta fuerit, vt nullo puncto aberrarit. Denique annorum vertentium magnitudinis inæqualitas obstat quominus ad tot præcedentium annorum secula æquationis præsentis calculus retrahatur. Sed, quæ est præcipua ratio, æquinoctium anno 1582. obseruatum fuit à peritissimis astronomis fieri sub finem diei decimi mensis Martij, vt tunc numerabatur annus ante correctionem. Vnde compertum est 10. circiter diebus à concilio Niceno vsque ad annum 1582. æquinoctium ad initium mensis fuisse progressum, ob dies integros, qui integri non erant quarto quoque anno celebratos in annis bissextilibus. Et idcirco nulli diei magis adscribi debuit in posterum quàm vigesimo primo Martij, vt olim fuerat. Quod vt fieret, necesse fuit dies 10. integros præcidere.

Sed cyclum Eusebij nu. 40.

De hoc cyclo dicetur infra num. 42. Nam quid sit epacta prius dicendum est.

Epacta à Græco num. 41.

luminarium, quod sufficit ex decretis patrum: sitque ille dies vnus ex 8. primi mensis sanctificatis à Deo Exod. cap. 12. & Leuit. cap. 23. quibus pręcepit Iudæis agnum & azyma comedere: videlicet à 14. Luna ad 21. è quibus ecclesia Cristiana exemit tantum decimumquartum à festiuitate paschali, vt patet ex d. cap. celebritatem: vbi postquam B. Victor die dominico pascha celebrari debere dixit, statuit eam festiuitatem diei dominicę paschalis fieri à 14. Luna (exclusiuè scilicet) primi mensis ad 21. Lunam eiusdem mensis. Quod etiam apertè docet B. Isidorus Hispalēsis lib. 1. de ecclesiasticis officijs cap. 31. cum ait. In tertia hebdomada lunæ pascha celebratur. 1. qui dies occurrerit dominicus à quinto decimo in vigesimum primum Vnde Theophilus Cæsariensis episcopus, qui longe ante Isidorum vixerat, interfuitque concilio Cæsariensi habito 200. annis post Christum, de hac re loquens in sua epistola synodali appellat eos dies septē lunas consecratas. At vero si expectandus esset dies alter dominicus post diem dominicum in 15. diem lunæ incidentem, cōtingeret vt pascha contra ecclesiæ decretum post 21. diem primi mensis ageretur, die scilicet 22. de qua re copiosè scripsit Clauius in explicatione calendatij Roma. cap. 1. Est autem sciendum in habenda ratione 14. Lunæ primam Lunam dici non eo die pręcisè quo cum Sole iungitur, 1. quo fit nouilunium celeste, sed die sequenti, vt plurimum, quo incipit apparere in cœlo. Ad hunc enim diem, quoad fieri potuit, directi sunt cycli pa-

ſchales ſecundum curſum Lunæ medium, vt notauit ibidē Clauius, & cap. 18. iuxta antiquum eccleſiæ vſum, quem refert ex Beda lib. de ratio tempo. cap. 40. & Campano in computo maiori cap. 28. Quem etiam fuiſſe vſum Chaldæorum & Iudæorum teſtatur Scaliger lib. 1. de emend. temp. qui non vt Athenienſes ἀπὸ τῆς συνόδου σελήνης ſed ἀπὸ τῆς φάσεως menſem lunarem incipiebant.

Donec adimpleſſet legis mandata prioris, num. 13. Plura dubia hic occurrũt, quibus videri poſſit Chriſtum non ſecũdum legis præceptum celebraſſe paſcha. Primum quod 14. die primi menſis id non fecerit, vt Exod. cap. 12. & 13. Leuit. 23. & Nume. 28. præceptum erat, ſed 2. die azymorum, qui erat dies 16. menſis. Nec etiam eodem die quo agnus fuerat immolatus, eum manducauerit, vt par erat. Primo enim die azymorum qui erat 15. dies, diſcipuli ante veſperam parauerunt cœnam: Marci cap. 14. Lucæ cap. 22. & conſequenter neceſſe fuit agnum prius immolaſſe. Veſpere autem facto, incipiente ſcilicet ſecundo die azymorũ Chriſtus manducauit agnum cum diſcipulis: Diem enim incipiebant Iudæi à ſolis occaſu: Qua in re etiam non videtur adimpleſſe legem: quia cum immolatio agni typus eſſet Chriſti immolationis ad crucē, videbatur eodem die Chriſtus immolari debuiſſe, quo agnus. Quod autem primus dies azymorum decimo quinto diei primi menſis addictus eſſet, atque immediatè paſchalem diem ſequeretur, patet ex Leuit. cap. 23. & Nume. cap. 28. Et licet paſchali etiam die azyma come-

derentur in cœna paſchali, alio tamẽ nomine nempe paſchatis, dies ille cenſebatur, nec annumerabatur inter 7. illos dies azymorum de quibus toties in ſupradictis locis fit mentio. Si enim dies paſchalis annumeraretur inter illos 7. diéſq; illi 7. inciperent à 14. die, procul dubio finirentur die vigeſima menſis ad veſperam. Et tamen certum eſt eos durare vſque ad finem vigeſimi primi eiuſdem menſis, vt ex eodem loco Exodi cap. 12. planum eſt. Porro licet in cœna paſchali Iudæi panes azymos comederent, tamẽ ex illis locis non paret fuiſſe prohibitum reliqua diei parte vti panibus fermentatis, vt de alijs 7. lata erat lex prohibitoria & pœnalis. Denique quando in Leuit. cap. 23. & Nume. cap. 28. de diebus azymorum fit mentio, de 14. die primi menſis nullus eſt ſermo, diciturque ſimpliciter 15. die ſolennitatem azymorum eſſe domino, iubenturque per 7. dies panibus non fermentatis veſci, quorum die primo fieret conuocatio ſancta, atque ab omni ſeruili opere abſtinerent. At vero dies quo immolabatur agnus non erat feſtiuus neque ἄφεσις. Itaq; cum inter dies azymorum annumerari non potuerit, vix dici poſſe videbatur Chriſtũ ſecundum legis ritum paſcha celebraſſe. Secundum dubium eſt, quod Romana eccleſia feria quinta, ſeu die Iouis, cœnæ dominicæ commemorationem faciat, mortis autem & paſſionis feria 6. ſeu die Veneris: quaſi non in vno die ſed duobus hæc peracta fuerint, vnde in canone miſſæ dicitur pridie quam pateretur cœnam feciſſe. Tertium quod non in die Paſchæ

nec eodem die quo Iudæi, ſed pridie paſchæ, & in paraſceue, qui dies antecedebat feſtum paſchæ, agnum manducauerit, Ioannis cap. 18. & 19. vbi etiam dicit Iudæos non introiſſe in prætorium vt non contaminarentur, ſed vt manducarent paſcha. Quantum ad primum attinet, cum de primo die azymorum fit mentio, hoc etiam intelligendum eſt de 14. die primi menſis, quo quidem fiebat agni paſchalis immolatio atque manducatio. Licet enim primus dies azymorum ex veteri lege inciperet 15. die tantum, eoque fieret paſchalis feſtiuitas (Verum eſt enim quod decimuſquartus non erat feſtiuus neque ἄπρακτος) tamen propterea quod eo etiam die ex præcepto legis azymi panes comedebantur in cœna paſchali, Iudæi tractu temporis eum diem inter dies azymorum retulerunt. Et iam non 7. dies azymorum, vt toties lege ſancitum erat, ſed octo numerauerunt, vt ex Ioſepho lib. 2. antiqui. cap. 5. colligi poteſt, eumque diem qui in 14. menſis incidebat, primum azymorum dixit Marcus, quia 15. diem qui olim primus azymorũ dicebatur, antecedebat. Quòd verò ante veſperum agnus fuerit immolatus, poſt veſperum autem manducatus, quanquam hæc duo interualla duos dies deſignare videantur, accipi tamen debent pro vno eodemq; die, nempe pro 14. die menſis, & primo azymorum, vt tunc numerabant, eius ſcilicet diei initio. Veſpera enim apud Hebreos erat duplex. Prima & ſecunda: quarum intermedio tempore paſcha immolare iubebantur Exodi 12. & Leuit. 23. vt ex voce He-

braïca בין הערבים ben haharbaim patet,quam Rabini interpretati sunt inter duas vesperas, & rectè, cum sit dualis numeri. Quidã autẽ ex illis vt R. Kimhi ait primam vesperam incipere quando Sol versus occidentem declinare incipit: Secundam, post Solis occasum. Alij verò vt Aben Ezra dicunt primam vesperam esse tempus illud quod mox sequitur post Solis occasum, à quo Iudæi suum diem incipiunt: alteram quando radij solares post Solis occasum amplius in nubibus videri nequeũt: quod quidem interuallum de crepusculo vespertino intellexit. Quæ sententia sanè probabilior est, quandoquidem tempus quo mactari agnus debebat,inter duas vesperas circumscriptum erat: Tempus vero quo manducari debebat, Moses appellat noctem, Exod. 12. Nox autem verè non dicitur, nisi desinente crepusculo, & vt ait Virgilius,

Vbi cœlum condidit Vmbra
Iuppiter, & rebus nox abstulit atra colorem.

Itaque in crepusculi interuallo poterat agnus immolari & parari ad cœnam, post vesperam autem manducari. Licet enim æquinoctiali tempore crepusculum breue est, durat tamen etiam in Hierosolymitano climate hora vna & quasi dimidia,vt probatur ex tabulis astronomicis. Cum igitur euangelistæ aiunt Christum vespere facto manducasse pascha, de secunda vespera & ruente nocte intellexerunt. Nec possum in eorum sententiam adduci qui vesperam primam incipere existimant ab hora nona seu tertia pomeridiana. Vespera enim à ves-

pero dicta ab omnibus vſurpatur pro tempore quo veſper ſeu Veneris ſtella lucere incipit, nempe occaſo Sole: vnde poëta,

diem clauſo componet veſper olympo.

Quod vero eccleſia Romana dominicæ cœnæ commemorationem faciat die Iouis, mortis autem & paſſionis die Veneris, non idcirco exiſtimat duobus diebus hæc myſteria peracta fuiſſe: At die Veneris tantum. Sed quia, vt iam dictum eſt, Iudæi diem incipiebant à Solis occaſu, dies ille Veneris quo Chriſtus paſſus eſt, cum incepiſſet à Solis occaſu eius diei quem nos Galli, ſicut & olim Romani, diem Iouis appellamus, vtpote incipientes diem à media tantum nocte, Chriſtus non pridie quidem quam pateretur, vt loquendo more Romano ſcriptum eſt in canone, ſed in eiuſdẽ diei initio, nempe poſt Solis occaſum, & veſpere facto cœnam celebrauit: Deinde ſeceſſit in montem oliuarum, vbi circa mediam noctem captus à Iudæis, ductus ad Caipham & Pilatum, tandem vero ſub eiuſdem diei finem circa horam nonam ſeu tertiam pomeridianã, ſupputando more noſtro, ex hac vita migrauit, ac deinde ante Solis occaſum ſepulturæ mandatus eſt: inſtabat enim ſabbatum, quo nihil horum quidquã facere fas erat. Quod autem obijcitur Chriſtum non eodem die quo Iudæi, ſed in paraſceue paſchæ & antefeſto, paſcha celebraſſe: verum eſt Iudæos paſcha celebraſſe poſtridie dominicæ paſſionis: ſed duplex erat paſcha à lege introductum, vt notauit Scaliger lib. 6. de emend. temp. Primum, quo im-

imolabatur & manducabatur agnus paſchalis per familias & in priuatis ædibus, quod die 14. primi mẽſis fiebat: & illud quidem Chriſtus atque ipſi etiam Iudæi illo ipſo die celebrarunt, vt ex Marci cap. 14. elici poteſt ex his verbis. Et primo die azymorum quando paſcha immolabant, diſcipuli dixerunt ei: Quò vis eamus vt paremus & manducemus paſcha? Et ex Lucæ 22. his verbis: Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi paſcha. Ex quibus verbis palam eſt, iam ſole occaſo, & incepto die, Iudæis iam immolare paſcha incipientibus, id ſciſcitatos eſſe ex Chriſto, & horam iam feſtinandi neceſſitatem imponere. Alterum paſcha erat quod 15. die primi menſis, qui olim primus dies azymorum erat, celebrabatur in templo: ibique non vnus agnus, ſed iuuenci duo cum ariete & ſeptem agnis & hœdo offerebantur; vt probatur ex Leuit. cap. 23. & Deutero. cap. 16. ex quibus locis modo ſimul perlegantur, tota res facilè eluceſcit, parétque vtrumque dici paſcha, vtrumq; immolari, vtrumq; manducari. Differre tamen tempore ſeu die, loco, numero & qualitate oſtiarum differre etiam die qualitate. Prior enim dies quo immolabatur agnus, non erat feſtiuus vt poſterior. Quocirca priore inclinãte fiebat paraſceue ſeu præparatiò eorum quæ ad victum & ſacrificia paſchatis craſtini pertinebant: & de hoc ſecundo paſchate intellexit Ioannes, cùm de paraſceue paſchæ non ſemel locutus eſt, & cum dixit Iudæos non introiſſe in prætorium, ne contaminarentur, ſed vt manducarent paſcha: quod quidem quia

quia eo anno in ſabbatum incurrebat, propterea dixit magnum illud eſſe ſabbatū, vt pote ſabbatum duplex, quia feſta ſolennia dicebantur quoque ſabbata, quemadmodum ſeptimus quiſque dies. Hic vero prætereundum non eſt, quod notauit idem Scaliger, Iudæos in more habuiſſe poſt cœnam paſchalem vti cœna dimiſſoria & Euchariſtica, quaſi loco bellariorum: atque habuiſſe ſub gauſape, vel mappa tortā azymam quam paterfamilias adiecta benedictionis formula in tot fruſta frangebat, quot in contubernio conuictores erant, quibus ſigillatim & ordine porrigebat, ac deinde poculum à ſe deguſtatum tradebat proximo diſcumbenti: deinde alter alteri, donec per totum conuiuium circumferretur: vocabaturque poculum hymni: quod eo per cœnam circumlato accinebatur vnus ex pſalmis Dauidicis. Quæ quidem ſi vera ſunt, vt ex rituali Iudæorum probare nititur Scaliger, certè typum gerebāt Euchariſticæ cœnæ, quam poſt cœnam paſchalem Dominus nouum teſtamentum condēs fecit cum diſcipulis, dum ſub ſpeciebus panis & vini eis pretioſiſſimum corpus ſuum & ſanguinem epulandum dedit. Quoniam vero ſupra de hora nona facta eſt mentio, illud obiter ſciendum eſt, quod apud Iudæos ſicut nox diuidebatur in 4. vigilias, ſeu militum excubias, quorum cohortes viciſſim ſtabant ad cuſtodiam: ſic dies in 4. horas: quarum quæque 3. horas complectebatur. Prima quidem 3. illas horas quæ à 6. noſtra matutina ad nonam numerantur: tertia quæ à nona ad meri-

diem : sexta quæ à meridie ad tertiam : nona quæ à tertia pomeridiana ad sextam vespertinam. Et quidquid fiebat hoc trium horarum spatio, denominationem temporis accipiebat ab illa hora ex his quatuor, intra quam fiebat.

Ergo dies semel affirmant num. 34.

Cristophorus Clauius mathematicus insignis, ait in sua sphæra abscindendos fuisse 12. circiter dies nisi iam à concilio Niceno æquinoctiũ vernum reductum fuisset ad diem 21. Martij. Itaque cum tempore correctionis Gregorianæ æquinoctium fieret circa initium diei 11. Martij ob dies superfluos qui in annos irrepserant, sufficere visum est detrahere 10. dies, vt ad 21. Martij æquinoctium illud retraheretur iuxta concilium Nicenum.

Et non æqua licet num. 35.

Anno tropicò vti Ecclesiam neque fuit æquum neque consentaneum : tum propter inæqualitatem motus Solis, qui non semper prorsus eodem temporis spatio omnibus annis progreditur, sed modo aliquot scrupulis horarijs plus, modo minus : vnde propter anomaliam æquinoctiorum post aliquot secula, nempe post annos 1717. & dies 302. æquinoctium potest recedere à media sede sua vno die & quadrante diei, vel circa finem mensis, vel circa initium : vt colligit Clauius ex Nicolao Copernico celeberrimo mathematico, ex cuius doctrina tabulæ quæ Prutenicæ dicuntur constructæ sunt, & ab omnibus nunc receptæ. Tum etiam propter 5. horas & 49. scrupulos horarios cum 16. secundis qui-

bus annuus Solis cursus excedit 365. dies, ex quibus potissimum 5. horis & scrupulis accidit, vt eodem semper die æquinoctium fieri non possit. v. g. Si primo anno æquinoctium fiat hora 8. post meridiem, anno secundo fiet hora 1. matutina cum aliquot scrupulis: & sic deinceps adiiciendo semper integris diebus 5. horas, & scrupulos, ex quibus quarto quoque anno dies intercalares, seu bissextiles conficiuntur. Et si ad amussim annum tropicum in habendis rationibus anni vulgaris sequeremur, oriretur inde conturbatio annorum, temporum mensium & dierum: & epocha tum anni, tum etiam dierum & mensium modo inciperet ab vna hora vel momento, modo ab altera. Sed nec de his quidem momentis astronomi inter se consentiunt. Itaque ne Ecclesia penderet ex incerto arbitrio astronomorum, vtque vno eodémque die per vniuersum orbem pascha celebraretur, æquius fuit, medios solis motus sequendo semel statuere certam sedem æquinoctij, quantum fieri potuit veris motibus congruentem: & annum æquare modo per additionē dierum bissextiliū, modo per detractionem. Sed nec motibus quidem medijs ita precisè se Ecclesia obstrinxit, vt ab illis ne latum quidem vnguem discedere liceret, sed vsa est cyclis modo veris motibus, modo medijs proximis, quantum id pati potuit natura cycli, qui non nisi ex diebus integris confici potest, vt normā aliquam certam & immutabilem sequeretur, nec res tanti ponderis in incerto maneret. Denique necesse fuit ra-

tiones temporum ad vſum populi accommodare.

Quocumque ſub astro num. 36.

Abſurdum forte cuipiam videri poſſit, vnō eodémque die per vniuerſum orbē paſcha celebrari, cum æquinoctium vernum eodem tempore fieri non poſſit vbique terrarum. Quod enim nobis in boreali hemiſphærio vernum æquinoctium eſt, illud eſt autumnale iis qui partes auſtrales habitant. Sed cum præceptum diuinum nullam de æquinoctio mentionem fecerit, ſed lunam tantummodo primi menſis Hebręorum deſignauerit, in quam quidem incidit vernum æquinoctium, vel ab ea non longe abeſt, habenda fuit ratio eius æquinoctij quod eo menſe fit in illa regione quam Deus habitandam Hebræis dederat, nempe in Palæſtina, vbi pręceperat Deus paſcha immolari, quæ in Septemtrionali hemiſpherio eſt: in quo etiam Chriſtus paſſus eſt, & à mortuis reſurrexit. Quod vero pertinet ad diem Dominicum proximè ſequentem diem 14. lunæ, quo paſcha celebrari debet, nihil etiam obeſſe debet climatum & meridianorum diuerſitas. Cum enim die illo Dominico vt aliis diebus Sol 24. horarum ſpatio motu rapido totum terrarum orbem colluſtret, vnaquæque regio, diuerſis quidem horis diem illum incipiens, celebrare poterit. Hoc autem ita fuiſſe inſtitutum à patribus concilij Niceni teſtatur D. Ambroſius epiſt 83. Idémq; poſtea confirmatum fuiſſe in concilio Arelatenſi primo, & Carthaginenſi quarto, patet ex diſtinctio. 3. De conſecratione cap. de obſeruatione, & cap.

paschæ. Quod autem subiicitur in carmine de orbe nouo, quia non ita paucis explicari potest, de ea re paulo latius dicemus in fine harum annotationum sub num. 54.

Ergo iterum ne luxuries num. 37.

In cyclo Gregoriano qui constat annis 400. omittuntur tres dies intercalares, seu bissextiles; idque in tribus primis annis centesimis huius cycli: qui quidem incipit ab anno 1601. Ita vt in annis 1700. 1800. 1900. bissextus omittatur. Anno verò 2000. qui est quartus & vltimus centesimus cycli, bissextus celebretur, & sic deinceps in perpetuum. Assumpti autem sunt ad eam æquationem faciendam anni centesimi ad faciliorem methodum: tum quia anni sunt intercalares, nec die intercalari omisso idcirco annus minor videri potest: tum etiam quia anni illi tamquam Iubilæi, & celebriores non facile finent bissexti omittendi memoriam effluere. Deniq; licet fragmenta quæ desunt diei quadranti annuo, quæ sextam & paulo amplius vnius horæ partem efficiunt, simul collecta diem integrum efficere non possint nisi post 134. annos vel circa, ratione habita mediæ solaris anni magnitudinis: & ita videri possit tantum temporis spatium expectandum fuisse ad eam intercalationem omittendam: Tamen quoniam æquatio anni ciuilis, quæ nisi ex integris diebus fieri nequit, non potest adamussim æquationi tropicæ & veræ respodere, propter tot annorum numerum in illa æquationis periodo currentium, ea sequenda potius fuit æqua-

tionis forma quæ commodius seruat æquinoctium in sua sede, vt est ea, quæ fit in annis centesimis, quam ea quæ fit in annis 134. quæ illud deturbat ac deiicit, vt patet ex calculis astronomicis & rationibus à Clauio allatis in suo Calendario.

A Iano epactas suadent num. 38.

De epactis & numero aureo vide infra nu. 41. 42. 43. 44. 45. 46.

Et licet à punctis nu. 39.

Dies 10. integri præcisè detrahendi non erant ad æquinoctium in pristinam sedem reducendum: nam si illud rectè positum fuerat à concilio Niceno anno Christi 325. habito, quoniam quæ desunt ex diei quadrante annuo non efficiunt diem integrum, nisi post 134. annos, sequitur non potuisse efficere 10. dies nisi post annos 1340. Atqui ab anno 325. vsque ad annum correctionis 1582. subducuntur anni tantum 1257. Itaque videbantur detrahendi tantum dies 9. horæ 9. cum aliquot scrupulis. Sed quia per eam correctionem æquatio anni solaris per omissionem 3. bissextorum in annis 400. non incipit nisi ab anno 1601. Primum huic calculo adiiciendi sunt anni 18. cum tribus ferè mensibus, qui eam detractionem augent horis tribus cum aliquot scrupulis; deinde necessitas cycli quæ dies integros postulabat, cogere potuit illas superfluas horas semel negligere, quæ ad tractum temporis non pertinebant. Tertiò horarum circiter 11. detractio semel facta non mutat æquinoctij diem, qui quidem constat horis 24. Vereque

& naturaliter æquinoctium incidit, non in vnum diem tantum, sed in duos, propter continuum augmentum 6. ferè horarum, quas conficit Sol quotannis præter dies integros. Quarto illa anticipatio horarum aliquatenus restituitur, per anticipationem quæ fit singulis quadrienniis eius quod deest, de illis 6. horis cuius æquatio non fit, nisi post annos centesimos, & quandoque ducentesimos. Sed his omissis ratiociniis, fieri potest vt positio æquinoctij à concilio Niceno facta non ita iusta fuerit, vt nullo puncto aberrarit. Denique annorum vertentium magnitudinis inæqualitas obstat quominus ad tot præcedentium annorum secula æquationis præsentis calculus retrahatur. Sed, quæ est præcipua ratio, æquinoctium anno 1582. obseruatum fuit à peritissimis astronomis fieri sub finem diei decimi mensis Martij, vt tunc numerabatur annus ante correctionem. Vnde compertum est 10. circiter diebus à concilio Niceno vsque ad annum 1582. æquinoctium ad initium mensis fuisse progressum, ob dies integros, qui integri non erant quarto quoque anno celebratos in annis bissextilibus. Et idcirco nulli diei magis adscribi debuit in posterum quam vigesimo primo Martij, vt olim fuerat. Quod vt fieret, necesse fuit dies 10. integros præcidere.

Sed cyclum Eusebij nu. 40.

De hoc cyclo dicetur infra num. 42. Nam quid sit epacta prius dicendum est.

Epacta à Græco num. 41.

Quoniam solaris annus ciuilis in annis communibus, i. non bissextilibus lunarem annum ciuilem excedit 11. diebus, dies illi 11. dicuntur ἐπακταὶ ἡμέραι, i. dies insitirij vel interiecti, seu intercalares, quoniam interiecti sunt in fine cuiusque anni lunaris, atque illi quasi insiti. Atque hi quidem collecti (procedūt enim singulis annis per continuum augmentum 11. dierum) quotiescumque summam 30. dierum efficere possunt, constituunt vnam lunationem integram extraordinariam, quæ embolismus dicitur: fitque sæpius post triennium, & quandoque post biennium: ita vt in spatio 19. annorum 7. lunationes extraordinariæ conficiantur.

Ergo decem atque nouem ex annis num. 42. Dionysius Abbas cognomento exiguus qui imperatoris Iustiniani temporibus floruit, cyclum paschalem circa annum Domini 532. construxit ex illo ἐννεαδεκαετηρίδος à Metone primum inuento, deinde ab Eusebio Cæsariensi illustrato, cui concilium Nicenum eam curam demandauerat. Sed quoniam Eusebianus cyclus non erat omnibus probatus, déque eo plurimæ dissensiones diu ortæ fuerant inter Ecclesias quarum permultæ aliis cyclis vtebantur, Dionysius eum in melius redegit: nec tantum epactas vnicuique ex his numeris accommodauit, verum etiam per illos numeros in Calendario Ecclesiastico perpetuo sedes nouiluniorum assignauit, in quibuslibet anni mensibus, eo artificio, vt quibus diei mensibus vnum ex illis 19. numeris signaret, illis nouilunium contingeret in

ret in omnibus annis in quibus ille numerus ex ordine cycli pro numero aureo anni haberetur: tribuendo ferè semper alternis vnicuique lunationi 30. vel 29. dies, cyclumque ex 235. lunationibus confecit; quibus peractis veteres crediderunt nouilunia in hoc 19. annorum curriculo cum Sole ad eumdem diem reuerti. Ex quibus lunationibus, 7. embolismicas seu intercalares cōstituit: quarum 6. priores essent 30. dierum, vltima autem 29. tantum. Eoque cyclo ab eo tempore vsa est ecclesia, tam ad epactas, quàm ad nouilunia & festa mobilia exquirenda, vsque ad annum 1582. Dictúsque est cyclus numeri aurei, quod eius numeris nouilunia signata, olim signo aureo notarentur. Numerus igitur aureus est cyclus 19. annorum incipiens ab 1. vsque ad 19. tribuens cuique anno vnum ex his numeris, quibus reuolutis semper reditur ad principium numeri vsque in perpetuum. V. g. anno 1596. cyclus rediit ad principium, fuitque illi anno pro numero aureo, 1. anno 1597. fuit 2. anno 1598. fuit 3. anno 1599. fuit 4. anno 1600. fuit 5. & ita deinceps vsque ad annum 1614. cuius numerus aureus erit 19. qui est vltimus cycli. Huic autem cyclo ad epactas facile inueniendas accommodatæ sunt tot epactæ quot erant eius cycli numeri nēpe 19. procedēte & ex continuo augmento 11. dierum quibus solaris annus lunarem annum superat. Anno enim cuius aureus numerus erat 1. tribuebatur epacta 11. Anno cuius numerus aureus erat 2. tribuebatur epacta 22. Anno vero cuius numerus aureus erat 3. licet epacta 33. tribui

debere videbatur per augmentum 11. dierum: tamen quoniam 30. dies efficiunt vnam lunationem integram, abijciuntur semper 30. quando abijci possunt. Tantum enim id quod superest potest dici epacta: cum epacta nihil sit aliud quam numerus dierum qui supersunt ex vltimo anno post vltimam lunationem expletam. Numero igitur aureo 3. non 33. sed 3. tantum (30. scilicet abiectis) pro epacta tribuuntur. Deinde anno cuius aureus numerus erat 4. tribuebatur epacta 14. & sic deinceps. Sed nunc propter 10. dies detractos anno 1582. omnis ille epactarum ordo mutatus est. Anno enim 1583. cuius numerus aureus erat 7. cuique idcirco debebatur epacta 17. fuit tantum epacta 7. Ex quo factũ est, serie epactarum ita postulante, vt pro epacta 11. quæ tribui solebat numero aureo 1. tribuatur nunc epacta 1. & pro epacta 29. quæ tribui solebat numero aureo 19. tribuatur nunc epacta 19. vt patet ex subiecta tabula, incipiente ab anno 1596. Duratque vsq; ad annum 1700. exclusiuè, in qua subiectæ sunt epactæ aureis numeris quibus nunc respondent.

Numeri aurei	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.
Epactæ	1.	12.	23.	4.	15.	26.	7.	18.	29.	10.
Numeri aurei	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.	
Epactæ	21.	2.	13.	24.	5.	16.	27.	8.	19.	

Sciendum eſt autem pro vſu huius cycli tam in præteritum quam in futurum, quod cum perueneris ad vltimum numerum cycli qui eſt 19. cui quidé reſpondet epacta 19. non eſſe 1. ſed 12. dies adijciendos in anno ſequenti quo cyclus redit, vt rurſum redeat epacta 1. cum numero aureo 1. V. g. Anno 1595. fuit epacta 19. quæ reſpondebat numero aureo 19. Quibus ſi addideris 12. in anno 1596. fiet (30. ſcilicet abiectis) epacta 1. quæ quidem fuit epacta illius anni congruens numero aureo 1. niſi autem hoc fieret, nulla eſſet epacta. Nam ſi ad 19. adieceris 11. fient 30. qui conſtituunt integram lunationem. Sed non eſt hæc præcipua ratio. Conſtructæ enim tabulæ fuerunt incipientes ab anno 1700. in quibus cum nulla ſupereſt epacta ex anno anteriore, Nouilunia ſignantur aſteriſco in primo die anni. Sed ratio cur id fieri debeat ea eſt. In 19. annis ſolaribus præter 228. lunationes communes quibus de more 30. & 29. dies alternis tribuuntur: præter etiam dies biſſextiles quibus lunatio menſis Februarij ſolet augeri vt ſit 30. dierum, fiunt 7. lunationes extraordinariæ quæ emboliſmicæ ſiue intercalares vocantur: quæ quidem conficiuntur ex 11. diebus, quibus ſolaris annus communis lunarem annum communem excedit, vt iam diximus: qui dies multiplicati per 19. præbent ſummam dierum 209. Ex qua ſumma 6. tantum lunationes fieri poſſunt 30. dierum & ſeptima 29. dierum duntaxat. Si enim ex 209. ſexies detraxeris 30. qui efficiunt 180. ſuperſunt tantum 29. Sed quia lunationes emboliſmicæ ſolent eſſe 30.

dierum, ne turbetur hic ordo, detrahitur vnus dies ex prima lunatione anni subsequentis, idemq; tribuitur epactæ eiusdem anni vt ex illo die & ex 11. qui addi solent, fiant 12. qui addantur epactæ anni antecedentis: & illa quidem detractio appellatur à multis saltus lunæ: quasi sit vnius lunæ saltus ad aliam. Idcirco autem Dionysius ab anno Christi exacto 532. cyclum paschalem incepit, vt absolueret magnum cyclum totidem annorum, qui à natiuitate Christi effluxerant: quo quidem spatio emenso cycli solares & cycli lunares ad eumdem diem recurrunt. Siue enim eam summam 532. diuidas per annos 19. quibus quidem conficitur cyclus lunaris, siue per 28. quibus solaris cyclus componitur, abiectis ijs numeris nihil remanet: procreatur enim ex viginti octies 19. & decemnouies 28. & hic est cyclus qui dicitur magnus cyclus Dionysianus; & ab illo anno 532. anni computari cœpti à natiuitate Christi, cùm antea diuersis modis putarétur: veluti ab Vrbe cond. ab Olympiadibus. A Diocletiano: Ab Indictione. Quid sit vero cyclus solaris dicemus postea nu. 50.

Sed quoniam nulla arte hominis num. 41.

Ex longa cœlestium motuum obseruatione, vt dies diei semper aliquid adijcit, compertum est nouilunia non præcisè ad idem diei punctum redire cùm sole post 19. annos, sed aliqua diei particula lunam ipsam Solis cursum anteuertere. Idcirco necesse fuit numerum aureum è calendario ecclesiastico delere: non quidem ad omnia (Nam etiamnum ad inuestigandam epactam eum retinuimus) sed ad no-

uilunia & festa mobilia exquirenda; quæ in calendarijs passim per illius numeros signata sunt, Gregorius iussit aboleri. Lunam autem paulò citius quam Solem redire in illo spatio 19. annorum patet ex ratiocinijs Lunæ & Solis. Solis dico, non astronomicis sed ciuilibus ratiocinijs, prout annum ex Iulij Cæsaris institutione numeramus, constantem diebus 365. horis 6. Qui dies multiplicati per 19. efficiunt periodum dierum 6939. & 18. horarum. At 235. lunationes quæ in 19. annis progrediuntur secundum cursum lunæ medium astronomicum, tribuendo cuique lunationi dies 29. $\frac{1}{2}$. minu. 44. sec. 3. tert. 10 quart. 48. secundum tabulas Prutenicas, exigunt tantum dies 6939. horas 16. mi. 32. sec. 27. tert. 18. Igitur luna in 19. annis anteuertit solis cursum ciuilem hora 1. mi. 27. sec. 32. tert. 41. Quæ quidem fragmenta olim parum cognita aut saltem neglecta efficiunt tamen diem fermè integrum in annis 312. $\frac{1}{2}$. Ex quo factum est vt nouilunia à concilio Niceno vsque ad annum correctionis Gregorianæ quatriduo eóque amplius ad mensium initia fuerint progressa, totidémque diebus à numero aureo calendarij recesserint, vt notauit Clauius in suo Calendario: vbi etiam docet quo pacto 235. lunationes ciuiles quæ in annis 19. solaribus ciuilibus procedunt, expleant tempus totidem lunationum astronomicarum secundum motum medium: quæ tamen ob illa fragmenta æquari non posse videbantur. Sed illa quidem fragmenta quæ exuperant dies 29. $\frac{1}{2}$. in quacumque lunatione, quæque conficiunt

in 19. annis dies 7. horas $4\frac{1}{2}$. & paulo amplius, cōpensantur partim cum 4. diebus bissextilibus, & 18. horis quæ in illis 19. annis comprehenduntur: partim etiam cum tribus diebus quibus 6. lunationes ex 7. lunationibus embolismicis abundant: quoniam hæ 30. dierum computantur. De quibus tamen 3. diebus 12. horas restituere oportet propter septimam lunationem embolismicam, quæ duntaxat 29. dierum est, tametsi illa vt cæteræ iuxta hunc calculum dierum $29.\frac{1}{2}$. computetur. Collectis igitur diebus $2\frac{1}{2}$. qui ex illis tribus supersunt, cum diebus $4\frac{3}{4}$. fiunt dies $7\frac{1}{4}$. qui numerus fere æquatur cum summa illa collecta ex scrupulis lunaribus, remanetque tantum ea differentia horæ 1. mi. 27. sec. 32. tert. 41. in annis 19. quam supra diximus, propter quam numerus ille aureus sublatus est è calendario.

Nec tamen hic secló exacto num. 44.

Quoniam tabula superius descripta durat tantum vsque ad annum 1699. cùm sit necesse propter omissionem 3. bissextorum in 400. annis, & æquationē anni ciuilis interdum epactas mutari, operæ pretiū videretur hic subijcere tabulam cycli perpetui epactarum, & tabulam æquationis eiusdem cycli: quæ quia reperiuntur in calendario Romano, nec sine copiosis commentarijs intelligi possunt, eas consulto omisimus, & in earum subsidium hac breui pagina collegimus ex ingenti tabularum multitudine quas conscripsit Clauius, omnes annos in quibus vulgares epactæ non seruantur, vsque ad annum quinquies millesimum: ex quibus patebit non sem-

per adijci 11. ad præcedentem epactam, neq; etiam 12. in principio cycli vt fieri solet. Denique quotiescumque occurret epacta 19. nulla signabitur epacta in anno sequente: fietque nouilunium in primo die anni: nisi fortè ea concurrat cum aureo numero 19. Si quidem adijciendo 11. ad 19. fiunt 30. qui constituūt integram lunationem, & ideo nulla potest esse epacta. Quando vero epacta 19. concurrit cum numero aureo 19. quia post eum numerum adduntur 12. in anno sequente, videlicet in principio redeuntis cycli vt superius dictum est; necesse est epactam 1. fieri; rursum cum numero aureo concurrentem. Anni igitur in quibus vulgares epactæ non seruantur, hi sunt.

Annus scilicet 1700. quo addentur tantum 10. ad præcedentem epactam, quæ erit 29. Vnde fiet, vt anno 1709. epacta quæ alioqui fuisset 19. non concurret cum numero aureo 19. sed habebitur illo anno epacta 18. quæ quia in fine cycli reperietur, fiet vt anno sequente, quo cyclus numeri aurei incipiet, addantur 12. quæ adiecta ad 18. efficiunt 30. Itaque anno 1710. cui numerus aureus erit 1. nulla erit epacta: fietque nouilunium in primo die anni, quod signabitur asterisco loco epactæ. Idemque fiet in omnibus annis, quorum numerus aureus erit 1.

Nempe in annis 1729. 1748. 1767. decimonono quoque anno eodem numero signatis vsque ad annum 1881.

Anno etiam 1900. cuius numerus aureus erit 1. non addentur 11. ad præcedentem epactam, vt fieri

ſolet in principio cycli, ſed 11. tantum.

Anno 1910. erit epacta 19. quæ efficiet vt in anno ſequente nulla futura ſit epacta, incipiétque luna in primo die anni ſub numero aureo 12. Idemque fiet in omnibus annis, quorum numerus aureus erit 12. vſque ad annum 2196.

In annis 2200. & 2300. addentur tantum 10. ad præcedentem epactam, eruntque epactæ eorum annorum 13. 8.

Anno 2301. erit epacta 19. ex qua fiet vt in anno ſequente 2302. nulla ſit epacta: fiétque nouilunium in primo die anni ſub numero aureo 4. Idemque fiet in omnibus annis quorum numerus aureus erit 4. vſque ad annum 2397.

Anno 2400. licet non cadat ſub numero aureo 1. ſed ſub numero aureo 7. addentur contra morem 12. ad epactam anni præcedentis, eritque epacta illius anni 4.

Anno 2500. addentur tantum 10. ad præcedentem epactam, eritque epacta illius anni 28.

Anno 2510. erit epacta 19. & in anno ſequente 2511. nulla erit epacta, fietque nouilunium in primo die anni ſub numero aureo 4. Idemque fiet in omnibus annis quorum numerus aureus erit 4. vſq; ad annum 2587.

Anno 2600. addentur tantum 10. ad epactam anni præcedentis, eritq; epacta anni illius 22.

Anno 2616. erit epacta 19. & anno ſequente 3617. nulla erit epacta, fiétq; nouilunium in primo die anni ſub numero aureo 15. vſque ad annum 2883.

In annis

In annis 2900. & 3100. addentur tantum 10. ad præcedentem epactam, erúntq; epactæ eorum annorum 7. & 27.

Anno 3102. erit epacta 19. nec anno ſequente 3103. vlla erit epacta, fiétque nouilunium in primo die anni ſub numero aureo 7. Idémque fiet in omnibus annis, quorum numerus aureus erit 7. vſque ad annum 3388.

Anno 3400. addentur tantum 10. ad præcedentem epactam, eritq; epacta eius anni 11.

Anno 3417. erit epacta 19. atque ideo anno ſequente 3418. nulla erit epacta, fiétque nouilunium in primo die anni ſub numero aureo 18. Idémque fiet in omnibus annis quorum numerus aureus erit 18. vſque ad annum 3449.

Anno 3500. addentur tantum 10. ad pręcedentem epactam, eritque epacta eius anni 6.

Anno 3600. licet non cadat ſub numero aureo 1. ſed ſub numero aureo 10. addentur contra morem 12. ad epactam anni præcedentis, eritque epacta illius anni 2.

Anno 3607. erit epacta 19. & in anno ſequente nulla erit epacta, fiétque nouilunium in primo die anni ſub numero aureo 18. Idémque fiet in omnibus annis quorum numerus aureus erit 18. vſque ad annum 3684.

Anno 3700. addentur tantum 10. ad præced. epactam eritque epacta eius anni 26.

Anno 3800. licet cadat ſub numero aureo 1 addentur tantum 11. contra morem, eritque epacta

H

eius anni 21.

Anno 3808. erit epacta 19. & in anno sequente nulla erit epacta, fiétque nouilunium primo die anni sub numero aureo 10. Idémque fiet in omnibus annis quorum numerus aureus erit 10. vsque ad annum 4094.

Anno 4100. addentur tantum 10. eritque epacta eius anni 5.

Anno 4199. licet sit sub numero aureo 1. addentur tantum 11. contra morem, eritque epacta eius anni 19. quæ efficiet vt anno sequente nulla futura sit epacta, fiétque nouilunium primo anni die sub numero aureo 2. Idémque fiet in omnibus annis quorum idem erit aureus numerus vsque ad annum 4485.

Anno 4500. addentur tantum 10. eritque epacta eius anni 14.

Anno 4514. erit epacta 19. vnde fiet vt anno sequente 3515. nulla sit epacta, fiétq; nouilunium primo anni die sub numero aureo 2. Idémque fiet in omnibus annis quorum idem erit aureus numerus vsque ad annum 4686.

Anno 4700. addentur tantum 10. ad epactam anni præcedentis, eritque epacta eius anni 4. Et exinde current vulgares epactæ 11. & epactę 12. in principio cuiusque cycli, vsq; ad annum quinquies millesimum quoquidem addentur similiter 10. tantum ad precedentem epactam, eritque epacta illius anni 19. sub numero aureo 4.

Et postquam incepit cursum num. 45.

Licet vera epacta vnde dies lunationum elici possunt, sit epacta 11. conflata ex 11. diebus, quibus solaris annus lunarem superat, quæquidem occurrit quando Sol & Luna in eodem signi puncto annum precedentem exorsi sunt: Tamen quia id rarò contingit, vt ex superiùs collectis videre est, vulgò epactam dicimus, dies qui supersunt in fine anni post vltimam lunationem expletam: qui dies inchoant primam lunationem anni sequentis, quæ quidem perficitur ex primis diebus mensis Ianuarij donec 30. dies coniungantur: tribuitúrque hæc lunatio mensi Ianuario. Quæ vero illa exacta inchoatur in mense Ianuario, tribuitur Februario mensi: Quæ in Februario, Martio: Quæ in Martio, Aprili: & sic de cæteris. Atque hac ratione facilè per epactam ætas lunæ inueniri potest, in singulis anni mensibus, dummodo huic primæ lunationi quæ incipit in mense Decembri, & finitur in Ianuario, tribuantur 30. dies, secundæ 29. tertiæ 30. quartæ 29. sicque alternis, modò 30. modo 29. singulis lunationibus assignentur. Ratio autem cur lunationes imputentur non mensibus quibus incipiunt, sed quibus finiuntur, hæc ab astronomis redditur ab exemplo; Fingamus lunam incepisse in primo die Ianuarij, nemo negat eam tribui debere Ianuario. Ergo secunda lunatio incipiet die 31. Ianuarij, cum prima finiatur die 30. & nihilominùs cum sit secunda, tribuetur Februario, licet in Ianuario inceperit, & rectè, quia finitur in Februario. Rursum tertia lunatio incipiet primo die Martij, finietúrque die 30.

Quarta incipiet die 31. Martij, finietúrque die 28. Aprilis. Denique tribuendo alternis 30. & 29. dies, duodecima lunatio incipiet die 22. Nouemb. & finietur die 20. Decemb. tribuetúrque eidem mensi Decembris. Superſunt 11. dies ex menſe Decembri pro epacta anni ſecundi, qui quidem inchoabunt primam lunationem eiuſdem anni ſecundi, cuius duodecima lunatio finietur die 9. Decemb. & ſupererunt 22. dies pro epacta anni tertij, qui pariter inchoabunt primam lunationem eiuſdem anni tertij, cuius quidē duodecima lunatio incipiet die 31. Octobris, & finietur die 28. Nouemb. Superſunt ex tribus annis ſolaribus præter 36. lunationes, dies 33. quorum 30. tribuuntur emboliſmo ſeu lunationi intercalari & extraordinariæ; & ita ille annus dicetur habere 13. lunationes, dicetúrq; annus emboliſmicus, quia 13. lunationes finiuntur in illo anno. Tres vero dies qui ſuperſunt relinquentur pro epacta anni quarti, qui rurſum inchoabūt primam eius lunationem. Fit tamen non rarò vt alternatio illa non ſeruetur: veluti in anno biſſextili, quia biſſextilis dies tribuitur lunationi menſis Februarij, & ideo lunatio illa habet tunc 30. dies licet in annis communibus 29. tantum conſtet.
Deinde quotieſcumque currit annus emboliſmicus quod ſepties accidit in annis 19. neceſſe eſt duas lunationes plenas continuò conſequi, & quandóque tres vel quatuor. Omnis enim lunatio emboliſmica 30. dierum eſſe ſolet. Deinde luna Ianuarij quæ ſequitur, habebit etiam vt ſolet 30. dies. Sic

luna Februarij, si annus sit bissextilis, habebit quoque 30. dies. Et luna Martij habebit etiam vt solet 30. dies. Atque ita 4. lunationes plenæ continuæ subsequentur. Nam licet septima siue vltima ex 7. lunationibus embolismicis constet tantum 29. diebus: tamen vt fiat 30. dierum, additur illi vnus dies qui detrahitur ex lunatione sequēti, nimirum mensis Ianuarij: vnde fit vt cum lunatio mensis Ianuarij sit eo casu 29. dierum, tantum duæ lunationes cauæ continuo subsequantur, quoniam lunatio quæ eam sequitur, nempe lunatio Februarij, 29. tantum constare solet, præterquam in annis bissextilibus. Sunt & alij casus in quibus alternationis regula non seruatur, sed quia hic ordo nihil addit vel detrahit numero dierum anni solaris, neque hi casus frequenter accidunt, leges autem, vt Theophrastus aiebat, non constituūtur de his quæ ἐκ παραλόγου, sed de his quę ἐπὶ τὸ πλεῖστον contingunt, eos consultò omisimus, præsertim cum ij non facilè sine tabulis & scrupulosa indagatione explicari possint: quod esset præter institutum nostrum. Sed qui plura scire volet, legat quę fusè & eruditè Clauius scripsit in explicatione Calendarij Gregoriani.

Nec te scrutandi epactas num. 46.

Intellige de epactis communibus, non de anomalis superius collectis sub numero 44. In epactis igitur inuestigandis quæ progrediendo procedunt, adijciendi sunt semper 11. dies epactæ anni antecedentis, donec ad 30. perueneris: qui quidem 30. abijciendi sunt semper, quotiescumque occurrent, consti-

tuunt enim embolismum, i. vnam lunationem intercalatem & extraordinariam: & reliquum tantum quod superest ex illis 30. sumendum pro epacta. v. g. Anno 1600. fuit epacta 15. Adde 11. pro epacta anni 1601. fient 26. Adde præterea 11. pro epacta anni 1602. fient 37. De quibus tolle 30. pro embolismo; relinquuntur 7. pro epacta d. anni 1602. In epactis autem inuestigãdis quæ regrediendo procedunt, tollendi sunt semper 11. dies ex epacta anni antecedentis, si quidem tolli possunt: sin minus, reliquum detrahendum erit ex antecedenti embolismo. v. g. Si quæris epactam anni 1599. detrahes 11. ex epacta anni 1600. quæ fuit 15. & relinquentur 4. quæ fuit epacta d. anni 1599. Si vltrà regredi cupis, & quærere epactam anni 1598. Tolle primum illos 4. qui erant epacta anni 1599. Deinde tolle 7. ex vltima lunatione embolismica, vt inde efficiantur 11. supererunt 23. pro epacta d. anni 1598. & sic deinceps. Sed memineris semper, si progrediendo exquiras, addere 12. in principio redeuntis cycli, i. in annis quorum numerus aureus est 1. Si vero regrediendo, totidẽ adimere in eisdem annis. Meminisse quoq; oportet dum regrediendo exquiris, 10. dierum detractorũ ex epacta anni 1583. Nam licet eius anni epacta fuerit tantum 7. propter 10. dies detractos anno antecedente, quæ alioqui fuisset 17. si quæris epactam anni præcedentis 1582. caue ne quid detrahas ex embolismo, sed sume 6. pro epacta eius anni.

* *Hoc anno per dena nouem* num. 47.

Annis 1600. adde vnum annum, fient 1601. quos si diuidis per 19. i. si detraxeris 19. toties quoties reperiuntur in summa, supererunt 5. qui fuit aureus numerus anni 1600.

Alterum & ex nonageno num. 48.

Annis 1595. adde annum vnum:& diuide totum per 19. nihil supererit. Itaque numerus aureus anni 1595. fuit 19.

Hac etiam arte queas num. 49.

Indictio est cyclus 15. annorum incipiens ab 1. vsque ad 15. tribuens cuique anno vnum ex his numeris, quibus reuolutis reditur ad principium numeri, vsque in perpetuum. v. g. Numerus indictionis anno 1588. fuit 1. adde tot vnitates singulis annis vsque ad annum 1600. fient 13. qui fuit numerus anni 1600. Adde præterea duos, fient 15. qui fuit numerus indictionis anni 1602. redijtque cyclus ad principium numeri anno 1603. Cœpta sunt autem per indictiones tempora computari ab anno Christi 313. ab 8. Cal. Octobris, quo die à Constantino Magno victus est Maxentius, & religio Christiana in libertatem vindicata: & extunc Olympiades sublatæ, vt testatur Beda lib. 1. de ratione temporum. Nec assentior Cedreno, qui in Theodosio scribit indictiones à Theodosio tantum cœpisse, sed ab Augusto incipi debuisse: Græcis enim fastis ab Onuphrio proditis maior est fides adhibenda, qui indictiones vocant Constantinianas, easq; sub Constantino & Licinio secundò coss. incipere testatur. Verum est certè Augustum pace terra mariq;

parta, omnibus nationibus Romano Imperio subiectis indixisse tributa: quod tam ex profanis authoribus quam ex Lucæ cap. 2. patet: vnde primùm manauit indictionibus nomen, toties in iure vsitatum, & à Plinio antea in panegyrico ad Traianum vsurpatum. Sed ante Constãtini tempora censuum seu tributorum descriptio, non post annos 15. sed post 10. fiebat, proque toto decennio describebantur tabulæ censuales, vt colligitur ex Vlpiano in l. 4. D. de censibus, vbi de modo & forma censendi loquens, bis mentionem fecit de situ & quantitate rei censitæ per 10. annos proximos ab ipsa censitione. Et quod Paulus Petauius vir doctissimus & collega noster ex eodem Vlpiano in l. 3. eiusdem tituli infert indictionē etiam tunc temporis 15. annis constitisse, quia à 14. annis masculi, feminæ autem à 12. annis, vsque ad 65. annum tributo capitis obligabantur: verum est quidem per longius tempus eam commodè fieri non potuisse: Si enim post 16. annos vel plures facta fuisset indictio, qui statim nasciturí erant post descriptionem, immunes fuissent futuri ab indictione post 14. annum, donec nouæ census tabulæ conderentur. Sed quominus indictio per breuius spatiū procederet, videlicet per 10. annos, nihil obfuit. Ex illis enim locis patet (vt etiam ipse Petauius luculenter explicauit) in libris censualibus ætatem vniuscuiusq; adnotari solitam, vt quo anno censeri quisq; inciperet aut desineret, cognosceretur. Deinde in illa l. 3. qua ætatis 14. & 12. annorum habetur ratio, de Syriæ

tantum

tantum, non etiam de aliarum regionum incolis statuitur: sed verisimile est Constantinum hac ratione ductum, id postea ad omnes omnium prouinciarum incolas extendisse. Indictionem vero incipere à mense Septembri non tantum ex ipso Beda, sed ex constitutione Græca Anastasij inter prætermissas relata perspicuum est, ex qua etiam Alciatus lib. 8. parergon cap. 1. innuit à Calendis Septembribus eam incipere: ducta ratione ex Dione lib. 51. qui annos Imperij Augusti incipere ait ab Actiaca victoria, quæ 2. mensis Septembris die ab eo reportata est. Cui sententiæ, Anastasij textus neque assentitur, neque aduersatur, cum de mense tantum, non etiam de die loquatur. Morem certè hunc ab indictionibus annos numerādi, hac etiam ratione introductum credibile est, vt certior deinceps temporum ratio haberetur: quæ cùm antea per annos Imperatorum fieret, sæpissimè confundebatur, succedente nouo Imperatore alteri qui medio anni decesserat. Eúmque computandi modum, ne obsolesceret, Iustinianus edicto firmauit: iussitque vt indictio, simúlq; Consul, mensis & dies, instrumentis adscriberentur. Authent. vt præponatur nomen Imperatoris documentis §. quia vero in fi. Sciendum est tamen indictionem Romanam, non vt Græcam à mense Septembri, sed à Calendis Ianuariis incipere, quia scilicet ab iis annus Iulianus ducit exordium, vt ex Suetonio docuimus.

Hac quoque solaris cyclus num. 50.

Cyclus solaris est reuolutio 28. annorum, quibus

peractis redit ad principium numeri: introductúsque est à Dionysio exiguo, quando cyclum paschalem construxit, ad dies cuiúsque hebdomodæ inueniendos in quibuslibet annis: maximéque ad diem Dominicum cognoscendum: vnde dicitur etiam cyclus literarum Dominicalium. Quod vt apertius intelligatur meminisse oportet (quod non semel dictum est) annum ciuilem constare 365. diebus, ac præterea diei quadrante, ex quo, quarto quoq, anno dies bissextilis conficitur. Diuiditur autem annus in 52. hebdomadas: quarum vna quæque constat 7. diebus, de nominibus 7. planetarum dictis, quibus totidem literæ, nempe 7. priores alphabeticæ semper repetitæ subseruiunt ad eos indicandos, præcipuéque diem Dominicum, qui olim dies Solis vocabatur. Sed quoniam præter 52. Hebdomadas quæ conficiunt tantum 364. dies, finiuntúrque die penultimo Decembris, superest quotannis vnus dies, cui sua litera opus fuit: ac præterea superest quarto quoque anno bissextilis dies, qui sua etiam litera pro tempore fuit signandus: necesse fuit septenarium illum ordinem literarum ac dierum planeticorum interrumpi, cum numerus ille inæqualis dierum anni pati non posset, vt annus sequens inciperet ab eodem die, à quo antecedens inceperat. Si enim prior annus communis inceperit die Dominico, necesse est secundum incipere die Lunæ: tertium die Martis: quartum die Mercurij: quintum verò die Veneris ob diem bissextilem quarto anno celebratum in mense Februario: ob

quem diem bissextilem tribuuntur illi anno duæ literæ, quarum antecedens ordine scilicet retrogrado (sic enim procedunt) tribuitur anni initio vsq; ad 24. Februarij: subsequens vero reliquæ anni parti, vt docet Genebrardus in præludiis psalterij. v. g. Anno 1600. qui fuit bissextilis incepitque à die sabbati, literæ Dominicales erant B. A: Anno 1601. G: Anno 1602. F: Anno 1603. E: Anno 1604. qui fuit bissextilis D. C. Anno 1605. B. Anno 1606. A. & sic deinceps ordine inuerso: tribuendo semper duas literas eodem ordine inuerso subsequentes annis bissextilibus, donec dies sabbati, & litera B. simul redeant & concurrāt in principio anni: quod fieri non potest, nisi post 28. annos completos, & vigesimo nono ineunte. Quamobrem excogitatus fuit hic cyclus 28. annorum, procreatus ex multiplicatione 7. in 4. ad eas literas inueniendas. Sed pro vsu huius cycli scire opus est, quæ litera præfixa fuerit in primo anno illius: Ante quidem correctionem Gregorianam litera incipiens cyclum erat G. iuncta cum F. vtpote congruens anno quaternario, & bissextili, quales semper fuerunt, eruntque imposterum omnes anni quaternarij saltem incipientes cyclum. Sed propter 10. dies detractos anno 1582. litera Dominicalis quæ fuisset F. anno 1583. fuit B. Vnde factum est vt anno 1588. quo cyclus modo currens incepit, literæ Dominicales fuerint C. B. eædemque erunt, vsque ad annum 1700. initio cuiusque redeuntis cycli. Itaque si scire velim, quæ fuerit litera Dominicalis anno 1600. Primum

inquiram quis numerus fuerit cycli solaris illo anno. Quem vt inueniam addam annis Christi 1600. annos 9. fiéntque 1609. Deinde totam annorum summam diuidam per 28. Etsi quid mihi supererit præter numeros 28. id reliquum erit cyclus solaris: atq; ita inueniam anno 1600. cyclum solarem fuisse 13. cyclúmque incepisse anno 1588. Tresdecim igitur literas numerabo per digitos incipiendo à literis C. B. quæ prębuerunt initium cyclo: deinde adijciam tot literas quot bissexti effluxerunt ab anno 1588. vsque ad annum 1600. exclusiuè: & eo modo inueniam literas Dominicales fuisse B. A. in anno 1600. Similiter si cupio scire quis erit cyclus solaris anno 1615. addam annis 16 5. annos 9 fiéntque 1624. quam summam diuidam per 28. & nihil mihi supererit. Itaque cyclus solaris eius anni erit 28. Vt ergo inueniam literam Dominicalē eius anni, numerabo per digitos 28. literas, addámque etiam tot literas quot bissexti effluxerunt nempe 7. & inueniam literam Dominicalem fore illo anno D. quæ est vltima cycli, incipiétq; nouus cyclus anno 1616. per literas C. B. à quibus præcedens cyclus inceperat Anno vero 1700. quoquidem incipiet nouus cyclus solaris, necesse erit aliquid immutari ex illo ordine: nam propter omissionem bissexti quæ fiet eo anno iuxta decretum noui Calendarij, non ambæ literæ C. B. assumentur, sed vnica tantum C: deinde subsequentur aliæ literæ præfato ordine. Paritérque fiet anno 1800. & anno 1900. In quibus propter similem omissionem bissexti, vnica tantum

litera, quæ inuenietur in ordine, assumetur. Sed in fine magni cycli 400. annorum qui incepit ab anno 1601. eadem litera G. à qua ille cyclus inceperat, proprio Marte recurret: incipiétq; annum 2001. & consequenter literæ C. B. more solito incipient nouum cyclum solarem anno 2016. neque vnquam erit alia mutatio in perpetuum: signabuntúrq; duæ literæ in omnibus annis bissextilibus, præterquam in tribus primis centesimis, quarto centesimo semper bissextili manente iuxta Gregorij decretum. Hic autem cyclus qua ratione dictus sit solaris non video, nisi propterea quod eadem dies, i. eiusdem planeticæ denominationis à qua solaris annus inceperat non recurrit cum Sole siue in principio anni, nisi post 28. annorum spatiū emensum: quod sane pertinet ad cyclum literarum Dominicalium, non ad cyclum Solis: quia Sol non magis post 28. annos quam post 4. nouū cyclum incipit. Æquiori enim iure cyclus quadriennij poterat dici cyclus solaris, quia dies bissextilis, quarto quoq; anno celebratus consumit residua horarū quæ relinquuntur ex 4. annis: nouúmq; cyclum incipit Sol quinto anno ineunte. Sed verus cyclus cui deberetur solaris nomen, est cyclus 400. annorum, quo per omissionem 3. bissextorum æquatur annus solaris, & restituuntur horarum scrupuli indebiti annis bissextilibus comprehensi.

Est etiam ad lunam num. 51.

Est alter modus inueniendi lunam per epactam, tritus quidem & vulgaris, at incertus & fallax: quippe

qui die integro eóque amplius à vero aberret, sed quo nihilominus dudum Ecclesia vsa est: incipiendo scilicet epactam à mense Martio, & exinde addendo Calendas cuiusq; mensis tam prȩteriti quam præsentis, cum diebus currentibus propositi mensis cuius lunam exquiris. v. g. Si anno 1600. quæras quota luna fuerit Calendis Aprilibus, sume primum epactam 15. quæ habetur eo anno. Deinde adijce dies 2. pro Calẽdis totidem mensium à Martio ad Aprilem. Adde etiam vnum diem pro currente prima die Aprilis cuius lunam quæris. Summa erit 18. & sic de cæteris. Sed nos idcirco exemplum duximus à mense Aprili, vt facilius ostendamus falsam esse hanc methodum, atq; vno die aberrare à vero cyclo. Nam cum eo anno pascha fuerit celebratum die 2. mensis Aprilis: Paschalis autem festiuitas non celebretur, nisi die Dominico post 14. lunam primi mensis, quam paschalis cyclus ostendit contigisse eo anno 29. Martij feria quarta, seu die Mercurij: sequitur diem primam Aprilis non fuisse decimamoctauam Lunæ, sed 17. dumtaxat. Si quis tamen ea methodo vti volet (est enim perfacilis admodum, & expedita & multis hodie nota mulierculis) per me licet, modo caueat in posterum, vt de ætate cuiuscumque Lunæ quam præbebit hic calculus, minuat semper diem integrum: sic enim à vero cyclo minimum aberrabit: cum quo licet in quibusdam cyclis semel vel bis concurrat sub epactis 14. & 25. id tamen raro contingit. Meminerit etiã addere 12. epactæ anni an-

tecedentis, quando numerus aureus erit 1. vt supra nu. 42. notauimus. Verum autem cyclum intelligimus non iustum, quandoquidem nullus cyclus excogitari possit qui motibus mediis, ne quidem tropicis respondere possit: sed Gregorianum cyclum intelligimus, quoquidem melior & præstantior inueniri non potuit ad 14. lunã paschalem stabiliendam: vt scilicet ea si fieri posset, non præcederet, vel subsequeretur mediã oppositionem luminariũ plus quam vno die, vel paulo amplius. Maximéq; & præcipuè laboratum est in hoc negotio, vt lunæ 14. potius eas oppositiones subsequerentur, quam antecederẽt: ne scilicet accideret vt sacrosanctum pascha contra patrum decreta incideret aliquando in 14. lunam: aut (quod esset absurdius) ante illam. Atque ea ratione factum est vt nouilunia cycli, vt plurimum, subsequantur vno die nouilunium cœleste, siue coniunctionẽ luminarium: incipiantque ferè semper ab apparitione tantum lunæ, vt superius dictum est: quod quidem vulgaris epactæ calculus à Martio incipiens non præstat, imo præcurrit vno die nouilunium cycli: magisque accedit ad calculum astronomicum, cum quo etiam tamen rarò concurrit, vt patet ex ephemeridibus.

Sic factum alternis num. 52.

Quemadmodum annus diuisus est in 52. hebdomadas: sic dies in 24. horas. Qui numerus horarum 24. constat ex tribus septenariis, ac prætereà tribus vnitatibus alium septenarium incipientibus. Præsunt autem 7. planetæ vicissim, ordine tamen re-

trogrado, vnicuique diei horæ. Quocirca necesse est cum planetam, qui præfuit primæ alicuius diei horæ, præesse quoque aliis eiusdem diei horis quæ alios septenarios numeros incipiunt: nempe horæ octauæ: decimæquintæ; & vigesimæ secundæ. Supersunt igitur duæ horæ quibus præsunt duo planetæ qui reperiuntur in ordine, atque idcirco necesse est alium planetam præesse non posse primæ horæ diei sequentis, nisi duobus intermissis: nempe his qui præfuerunt vigesimæ tertiæ & vigesimæ quartæ horis. v. g. Cum Sol præfuit vt solet, primę horæ diei Dominici, qui & dies Solis dicitur, necesse est propter illum septenarij numeri ordinem, eum quoque præesse horæ vigesimæ secundæ eiusdem diei: Venerem præesse vigesimæ tertiæ, & Mercurium vigesimæ quartæ. Luna igitur post Solem Venere & Mercurio intermissis suo ordine dominabitur primæ horæ diei secundi, seu diei Lunæ. Eadémq; ratione fiet, vt Mars post lunam Saturno & Ioue intermissis, præsit primæ horæ diei tertij, siue diei Martis. Mercurius similiter post Martem Sole & Venere intermissis, pręsit horæ primæ diei quarti, seu diei Mercurij. Iupiter quoq; post Mercurium Luna & Saturno intermissis, dominetur horæ primæ quinti diei, seu diei Iouis. Venus etiam post Iouem Marte & Sole intermissis, imperitet primæ horæ diei sexti, seu diei Veneris. Saturnus quoq; post Venerem Mercurio & Luna intermissis, dominetur primę horæ diei septimi, seu diei sabbati, qui olim dies Saturni dicebatur. Denique Sol

post

post Saturnum Ioue & Marte intermissis, rursum præesse incipiat primæ horæ diei Dominici. Et sic deinceps in perpetuum. Et ab illo ordine imperij planetarum dies hebdomadæ denominati sunt, & eum ordinem quem etiam nunc retinent sortiti. Atque eas quidem denominationes dierum à planetis, & ordinem ita dispositum Dion lib. 37 refert institutum fuisse ab Ægyptiis: & rationem ducit à consonátia Musices quę διὰ τεσσάρων dicitur: putátque ob illam harmoniam, atque vt dies cum cœli ornatu conuenirét, ita planetarum diuisa fuisse imperia in dies, vt semper quartus ab vltimo imperante præesset.

Soli igitur num. 53.

Dies Solis, qui postea à Christianis vocatus est Dominicus, ideo dicitur primus hebdomadæ, quia subsequitur diem sabbati qui septimus & vltimus fuit creatus à Deo, quando quieuit ab opere: quemque ad hæc tempora Ecclesia septimi loco habuit. Primo enim loco in diuinis officiis diem Dominicum ponit. Deinde ne ethnicis vocabulis vteretur, feriá secundam posuit pro die lunæ: feriam tertiam pro die Martis: feriam quartam pro die Mercurij: feriam quintam pro die Iouis: feriam sextam pro die Veneris: septimo autem ordine posuit diem sabbati, cuius denominationem retinuit ab institutione diuina, tametsi festiuitatem, cui olim dies illa dicata fuerat, transtulerit in diem Solis, quem Dominicum appellauit, quia eo die Dominus Iesus à mortuis resurrexit. At Christi resurrectionem prima

die hebdomadis contigisse, scribunt Marcus cap. 16. Lucas cap. 24. Ioannes cap. 20. Nec non etiam Matthæus id intelligere voluit, quando eam cap. 28. primam sabbatorum appellauit, i. primam à die sabbati.

Siue etiam orbe nouo nu. 54.

Quoniam polliciti sumus supra numero 36. de orbe nouo aliquid dicere, sequuti sumus communẽ sententiam, quando Americam orbem nouum appellauimus, etiam si aliter sentiremus. Licet enim America, quæ dimidiam ferè orbis partem constituit, vulgò putetur incognita fuisse ante Cristophori Columbi nauigationem, nihilque de ea scriptum grauissimi authores affirment: tamen non semper orbi nostro latuisse, sed & fuisse cognitam & circumnauigatám, probatur tum Ariæ Montani doctissimi viri testimonio, tum multis magnisque rationibus: eámque esse regionem quæ de nomine Ophir in sacris libris vocatur. Primum enim sciendum est, quùm diuina prouidentia vniuersum orbem terrarum habitandum ab hominibus decreuisset, linguásque eorum confudisset, vt sic dispergerentur omnes in varias orbis partes: filij Sem eorúmque descendentes præ aliis longè plurimas eásque longinquas terræ partes occuparunt: vt colligitur ex Genesis cap. 10. & 11. & eas suis nominibus de more vocitauerunt. Maximè verò inter omnes Iectan filius Heber, cum numerosa filiorum multitudine varias gentes propagauit, remotissimásque terræ partes obtinuit. Ex quibus Iectan fi-

lijs fuit Ophir, author procul dubio eius gentis, & nuncupator regionis quæ diu de nomine Ophir dicta est. At regionem Ophir fuisse eam de qua nunc agimus, id ex variis scripturæ locis erui potest. Primum ex lib. 3. Regum cap. 9. in quo narratur Salomonem instruxisse classem in littore maris rubri, in terra Idumeæ, vt nauigaret in Ophir vnde aurum exportaret: ad quam nauigationem perficiendam adhibuerat quosdam seruos Hirami regis Tyri rei nauticæ peritissimos, quos ad eam rem ei miserat Hiramus, vt vna cum seruis Salomonis proficiscerentur, ducésque itineris essent. Qua ex re patet regionē Ophir & maritimam fuisse, & remotissimam, nec dum ante Salomoni, Hiramo tamen cognitam. Porro eam mediterraneo mari adiacentem non fuisse, sed vasti Oceani oram aliquam contingere arguitur ex situ loci vnde classis exibat. Nam Sinus Arabicus, seu mare rubrum, profertur in mare Indicum: vnde in Indiam direxisse iter verisimile est, vel certè Africæ littora perlustrasse, quod non est existimandum. Quippe Africæ regio proxima est Idumeæ: distátq; tantum hoc angusto maris sinu: nec necesse fuisset regi Tyri misisse seruos Salomoni rei nauticæ peritos ad tam tritum & facile iter traiiciendum, præsertim cum ea regio non multū auro abundaret. Igitur in alterā partē, videlicet orientem versus, Salomonis classem nauigasse dubium non est: quandoquidem illa etiam in regionē Tharsis proficisceretur, quam satis liquet orientalem fuisse ex 71. psalmo. In illo loco: Reges

Tharſis & inſulæ munera offerent. Et ex Mathæi 2. aſſerente, Magos hoc eſt, reges illos Tharſis & inſularum ab oriente veniſſe. Ex quibus patet quam ſit inſulſiſſimum de Tharſo Ciliciæ vrbe interpretari, quæ Syriæ proxima, & ab hoc mari vnde ſoluebatur omni intercluſo aditu ſemota erat: nec regibus pluribus vrbs vna parens, ſed populo Romano cum tota prouincia ſubiecta, quo tempore Chriſtus à regibus adoratus eſt. Itaque regionem Ophir, aut Indiæ orientalis plagam, aut remotiorem fuiſſe regionem neceſſe eſt. Sed eam potius vlteriorem fuiſſe quam Indiæ orientalis, colligitur ex eo quod India ipſa ad quam etiam claſſis illa commeabat eodem itinere, ſub nomine Tharſis pro regione diuerſa ab Ophir accipitur in 10. cap. libri 3. Reg. & cap. 9. libri 2 Paralipo vbi cum de nauigatione Ophir fit mentio, ſimiliter dicitur quod claſſis Salomonis vna cum ſeruis Hirami multam auri argentique copiam aduehebat ex Tharſis, in quam regionem ibat triennio quoque ſemel. At Tharſis fuiſſe vel regionem Indiæ extremam, vel ipſum mare Indicum quod totam Indiam alluit D. Hieronymus in 10. caput Hieremiæ infert ex Ioſepho: quiquidem lib. 8. antiq. cap. 2. ait, Salomonem habuiſſe ſolitum in ora maris Tharſis multitudinem nauium, quæ in longinquas regiones nauigabant commutandarum mercium cauſſa, vnde aurum afferebant. Sed nos quoq; ex eodem loco coniicimus eas longinquas regiones & Tharſo remotiores, cum non niſi de Ophir, quò præcipuè

dirigebatur iter intelligendæ sint, Americam fuisse, quæ etiam magno inde maris interuallo distat: nisi fortè quis malit (quod non probo) de Taprobane & Moluccis cæterisq; adiacētibus insulis interpretari, de quibus regius psaltes in supradicto carmine loqui voluit. Nec vero me à priore sententia dimoueat itineris longitudo, vt scilicet orientali India peragrata, præterea sit ad occidentales fines vbi sita est America remeandum. Non enim tantum temporis, vt est triennium, fuisset insumendum ad eam nauigationem peragendam, nisi longi difficultas itineris id exegisset. Præterea fieri potuit, vt à Tharso, quò primum dirigebatur iter, classis Salomonis orientales insulas prætervecta ita terrā circumambierit, vt tandem ad Americam prouecta peruenerit. Nam licet nobis iñ medio orbis positis America occidētalis esse videatur: tamen ob mundi orbicularem figuram, & ob perpetuum, & immutabilem Solis nusquam verè occidentis cursum, necesse est eam iis qui in Taprobane & Moluccis habitāt, orientalē esse. Itaq; ab his insulis ad Americam secundū orientem Solem nauigantibus permagna quidem est; sed non tam stupenda distantia: quippe cum Guinea noua quæ iam Indiæ occidentali adscribitur, à Moluccis insulis 10. tantum gradibus distet, & ab ea quamuis remotissima, perfacilis sit ad Americam nauigatio per mare pacificum, sic vulgò appellatum ob perpetuam eius tranquillitatem & clementiam. Deinde ab eodem Iosepho docemur Ophir fuisse aliquam Indiæ regio-

nem: quod si de occidentali India accipere volumus, Americam esse intelligendum est. Nec mirum est si Iosephus non dixerit de qua India Ophir esset, quoniam apud veteres, omnes regiones quæ erant vltrà Gangem, sub Indiæ nomine indistinctè comprehendebantur: Ex quo etiam America ipsa Indiæ occidentalis nomen accepit. Sed tamen de ea de qua nunc agimus intellexisse Iosephum probabile est, cum ex supradictis & scripturæ & Iosephi locis terra illa Ophir aurum probatissimũ suppeditet. Quod & nunc facit America, in qua magna vis & copia est auri purissimi: tantámque eius abundantiam Ophir præbebat, vt postea mutato nomine terra auri καθ' ἐξοχὴν diceretur, vt idem Iosephus refert. Et inde etiam factum est, vt aurum optimum postea dictum fuerit Græcis ὄβειζον vel ὀβρύζον, quod & latinis obrysum quasi Ophrysum vel Ophirisum, vt notat D. Hieronymus. At in India orientali, vel in alia quauis orbis parte fuisse olim regionem quæ tam auro abundaret, vt abundat ea pars Americæ quæ vocatur Peru, nemo vnquam dixit. Et ideo cum de Tharsis in illis locis fit mentio, aurum & argentum simul inuectum ex ea esse narratur: At cum de Ophir, aurum tantum. Quod etiam ex Hieremiæ 10. capite magis elucescit: vbi argentum de Tharsis, & aurum de Ophir afferri dicitur. Præterea eam terram tam auri feracem meridionalem fuisse credibile est, cum metallum istud vim suam à calore Solis obtineat. Et quibus in regionibus maior est vis Solis, in his auri & copia &

bonitas maior eſſe ſoleat. At omnium regionum quæ Zonę torridæ ſubiectæ ſunt (quæquidem non permultæ ſunt & ferè totus ille ambitus terræ mari ſubiacet) nulla eſt calidior remotiórque quam Peru. Rurſum ex ijſdem ſcripturæ locis diſcimus, lignum quoddã præſtantiſſimum nomine אַלְמֻגִּים Almugim ex regione Ophir adductũ eſſe, & quale antea nuſquam viſum fuerat, ex quo Salomon fecit gradus in templo, & inſtrumenta muſica. Quod & indicio eſt regionem eam vnde allatum fuerat, fuiſſe longinquam, & tunc temporis parum cognitam. Et id quidẽ lignum Almugim Rabini neoterici (à quibus multorũ nominũ Hebræorum interpretationẽ noſtri Theologi aſſumere cogũtur) exiſtimant lignum fuiſſe eius generis, quod ex Braſilia Americæ regione nobis aduehitur: quæ ipſi Peru contigua eſt: ex quo etiam apud nos inſtrumenta muſica conficiuntur. Poſtremò quemadmodũ in indaganda origine nominum cęterarum regionum inquiri ſolẽt nomina antiquiſſima, & ad ea accommodantur præſentia nomina, ſi inter ſe conſentiant, vel non multum ab inuicem differant: ita non abſque ratione Vatablus ſuſpicatus eſt, quod poſtea conſtanter aſſeruit Arias Montanus in libro qui inſcribitur Phaleg. ex comparatione nominum denominationem Peru κατὰ τὴν μετάθεσιν ductam eſſe: ita vt ex Ophir ſiue Opir (nam vtrumque idem eſt quoniam litera פ. P. Hebræis ſonat vt φ. Græcum) Piro vel Peru manauerit. Nec multum refert ſi vocales eædem non inueniuntur in vtroque vocabu-

lo, cum frequentissima sit apud Hebræos vocalium commutatio, nihilq; ferè in dictionibus prętet consonantes obseruent, vocales interim ad libitum accommodãtes. Qua ex re in interpretationibus Hebraici sermonis, multi ac propè infiniti errores quotidie euadunt. Sed & transpositionem ipsam literarum fieri nonnunquã apud eosdem Hebræos patet ex supradicto vocabulo Almugim, de quo mentio facta est in præfato loco libri 3. reg. cap. 10. Nam in libri 2. Paralipo. cap. 2. & 9. non scribitur אַלְמֻגִּים Almugim, sed אַלְגּוּמִּים Algumim. At eiusmodi transpositionẽ fuisse factã in illis verbis Ophir seu Opir, & Peru, cõfirmatur ex prædicti lib. 2 paralip. cap. 3. vbi cum historiæ conscriptor loqui voluit de auro probatissimo, quod antea prouerbialiter aurũ Ophir dicebatur, iam non aurum Ophir, sed aurũ Peruaïm, vel paruaïm dixit, vt est in Hebraica lectione: quam lectionẽ sequuti 70. interpretes χρυσιδ τȣ̃ ἐκ φαρουείμ vertere. Atque hoc quidem nomen פַּרְוָיִם Paruaim: cum sit dualis numeri, quo vtraque eius regionis pars rectè significari potuit, perspicuum est vnamquãque eius partem seorsim sumptam singulari numero Peru, etiam apud Hebręos tunc temporis dictam fuisse. Si enim ex illo verbo (Peruaim) terminationem dualem quæ est (aim) sustuleris, remanet integrum nomen Peru quod quærimus. Quibus etiam addi potest, quod in America regione est quidam tractus, non procul à [illegible] Peruuia,

Peruuia, qui de nomine Iucatan appellatur, dictus forttasse à Iectan patre Ophir, authore eius gentis quam supra memorauimus: quiquidem Iectan in eam orbis partem cum ingenti sua sobole secessisse credendus est, generis humani disseminandi caussa. Denique nisi de duabus Indiis intelligantur Tharsis & Ophir, vix adimplebitur carmen 71. psalmi quod præcinit Dauid filio suo Salomoni: Dominaturum eum à marí, vsque ad mare, & à flumine, vsque ad terminos orbis terrarum. Nam & si psalmus ille congruat Christo; litera tamen quæ suum quoq; sensum in multis retinere potest, ad Salomonem ex ipsa psalmi inscriptione refertur. Et certè magnopere decuit imperium Israëlitarum, quod tam magnum futurum vaticinationes prædixerant, ad extremas orbis terræ partes extendi eo tempore, quo maxime florebat vigebátq;, scilicet sub Salomonis regno: post cuius obitū statim imperium eius collapsum dissipatúmque est, per decem tribuum discessionem. Multa alia (candide Lector) in eam sententiam afferre possem, nisi me finem scribēdi facere admoneret propositi argumenti ratio: à quo si in faciendo itinere paululum deflexi, pulcherrimarum rerum desiderio tentus, moræ huius interusurium quod tibi offero, æquo animo accipias velim.



IACOBI PINONIS SENAT. PARISIENSIS VARIA POEMATA.

Ad SIMONEM MARIONEM celeberrimum causarum patronum pro Xenijs A. D. 1584.



ON vno pede barbiton
Affectare leuem Calliope dedit.
Est qui Thesea versibus,
Pelidémq; canat: puluerem olympicum
Alter laudibus efferet.
Huic fratres Helenæ, aut Herculeus labor,
Præbent materiam lyræ.
Me si Pieriis fontibus admouet
Culti numen Apollinis,
Dum cursum renouans Cynthius annuum
Spirat carmina vatibus,
Quid nunc Musa recens laudibus arduis
Cantabit potius tuis
O lux, ô decus, ô deliciæ fori?

Nec patrocinium tuum
Vllus sensit adhuc perfidus aut nocens,
Soli iustitiæ sacrum.
Quid dicam innumeris Palladis artibus
Excultum ingenium sacræ?
Quid plures animi percelebrem tui
Dotes numine cælitum?
Felix ante alias quam tibi coniugem
Duxti chara mihi soror,
Quæ tanti meruit coniugij decus,
Et famam celebrem tulit.
Felix prole etiam quæ tibi liberos
Patri haud dissimiles tulit:
Audent qui à teneris non sine gloria
Virtutes patrias sequi.
Quin felix ego dum septa fori sequi
Et causas agere auspicor,
Quem iungis lateri conspicuum tuo,
Magnum præsidium mihi:
Cui semper faciles sunt aditus tui
Inter tanta nigotia:
Cui nusquam renuis colloquium frequens,
Dum nostris studiis faues.
Ergo his pro meritis iam xenium cape,
Vati Musa quod obtulit:
Virtutique tuæ præmia debita

Laudes versibus editas.
Quas & si tacitas malueris, tamen,
Vt tergo fugientium
Instabit mediis vmbra sequax iugis:
Sic te linquere nescia
Hærebit meritis gloria pertinax.

AD PETRVM BVRGIVM

SPerabam mea lux, mei lepores,
Burgi deliciæ nouen. sororum,
Post multas hyemes morámque tantam
Iam ciuem fore te Lutetianum:
Vrbis egregiæque amenitate,
Et sodalitij suauitate
Captum, hîc perpetuas habere sedes
Decreuisse: tuos laresque tecum
Hoc vexisse animo. Quid ergo causa est
Discessum vt properes citum parare,
Et rursum ad patrios redire fines?
O desiderium impotens amórque
Insanus patrij soli! cruenta
Qui tot bella tulit necésque diras
Ob falsa exilia & domos relictas!
Nescis cuique homini Deum dedisse
Mundum pro patria atque ciuitate

Vt commune ſolum? vidéſne tantum
Certis æquoribus natare piſces:
Aut natalitio volare cœlo
Addictas volucres: feráſque ſemper,
Hiſdem paſcere vel latere ſyluis?
Homo naſcitur expeditus, atque
Liber, corporis artubus ſolutis:
Vt quaſcumque queat migrare in oras,
Et quocumque velit manere cœlo.
Quid? tu non patriam putas, propinqui
Affinéſque vbi tot tui morantur,
Dilectique vbi tot tui ſodales?
An tot pignora chara derelinques?
Nec te turba hominum eruditiorum,
Nec te turba hominum politiorum,
Aula quos fouet in ſinu forenſis,
Siſtet propoſiti nimis tenacem?
Quid te non radians micánſque fulgor
Vultu ex principis, & ſerenus àrdor
Aſpectúſque tenet; coméſque turba
Heroum & procerum? nihilque ſiſtit
Te patrum venerandus ille cœtus
Lumen imperij decúſque ſummum?
Nil ſacræ effigies Deûmque templa
Structa mirifico ſuperba luxu,
Concurſuſque hominum frequens piorum?

Nil te regia splendida & coruscans
Auro, & marmoreis nitens colomnis:
Ædésque egregiæ potentiorum:
Publicorum operum laboriosus
Venustúsque decor nihil morantur?
Nil te denique distinet Diana
Virtutum decus & decus leporum
Quam tu plus oculis tuis amabas?
At mapalia scilicet reuises
Quæ regum anteferes Deûmque tectis:
Sed quis hîc teneros canet phaleucos
Aut versus elegos eposve tecum;
Tuósque hauriet auribus lepores?
Ah! verba in tenues feruntur auras;
Et tu nos modo iam valere cogis!
Si desiderium tenere rerum
Tantarum nequit, insidétque menti
Optatas patriæ reuerti ad oras,
Te saltem via confragosa, dura,
Te montes rigidi, ardui, asperique,
Longo tempore terreant iturum.
Iam cœlo Arcitenens micat sagitta:
Fratrésque hesperiis latent sub undis:
Et brumam Ægoceros vehens propinquat:
Et tu frigora peruicax gelùque
Certus dura pati viam capesses?
Nec

Nec te grandinis impetus morari
Aut Euri rabies furórque poßit?
Siste, Australia dum suos meatus
Pergant sydera, siste dum nouarit
Annum vecto Aries tepente vere.
Vidésne vt Boreas per arua stridens
Vellit stirpibus ilices opacas,
Secum præcipites trahitque syluas?
Discedis tamen! & nihil tremendum
Incautus metuis, preces nec vllas
Nec luctus animæ gementis audis.
Ergo perge age lætus hinc abire
Quò te fert animus: videre quandò
Te cœlum vetat amplius, vel vsque
Nobis inuidet hanc beatitatem.
Tecum Iupiter, adsit & Minerua.
Securúmque beent iter Camenæ,
Quas tu diligis excolisque tantum.
Et Phœbus faueat pater benignus.
Mox te lenior aura dulciórque
Æther prouehat has ad vsque sedes
Quas mens æstuat & videre gestit:
Tantum lætitiæ queas iocique
Illic carpere gaudijque tantum,
Quantum mœstitiæ feremus abs te
Aspectu placido tui carentes.

Huc te nostri oculi sequentur usque
Quò seruare acie procul valebunt.
At mens perpetuò sequetur, vmbra
Te tamquam, tua nec relinquet vsquam,
Terras vel licet vltimas oberres:
Nec prius faciet modum dolori,
Quam certum mihi nuncium feratur
Esse te incolumem domum reuersum.
Sed quid plura iuuat referre Musa?
Quid verbis acuis meum dolorem?
Heu! vox languida faucibus cohæret
Et suspiria sola ducit. Ergo
Vale chare mihi, valéque Burgi.

Rixa Martis & Cupidinis ex imitatione Anacreontis.

A Scendit Cytheræa Diua quondam
Ætnam loripedis domos mariti:
A quo fortia deprecatur arma,
Queis natum induat instruátque Amorem.
Ergo Mulciber vrit officinas
Ardens, liquitur euomítque flammas
Massa ingens, Steropes & hinc Pyragmon
Cædentes subigunt domántque ferrum:
Et tandem puero parant sagittas.

Iámque illas Venus oblinit madente
Melle protinus: at Cupido felle.
Speluncam intereà superbus ecce
Mauors ingreditur: videt pharetram,
Videt spicula iam parata Amori,
Insultánsque operi insolenter, inquit:
Nimirum egregia hæc videntur arma.
Cui tum offensus ait ferox Cupido:
Inuictissime belliger Deorum,
Qui fidens nimium arma nostra temnis,
Nec assis facis haud leues sagittas:
Olim quid valeant ferántque primus
Perdisces: nec eas iuuabit vltrà
Quarum lethifero peribis ictu
Spreuisse: heu! tibi dum suis peruret
Mater ignibus ossium medullas.

Ad Lucidam.

QVod sis egregia puella forma,
Quod sint aureoli tibi capilli,
Quod sint flammeoli tibiq; ocelli,
Quod frons marmore purior, niténsque,
Quod oris decor elegantioris,
Et mistus roseo colore candor,
Natiuusque genas rubor coloret:

Quod tu denique sis venusta tota,
Non est Lucida quod te amare cogor.
Et multæ tibi flammeis ocellis,
Permultæq; tibi aureis capillis,
Et candore etiam & decore certant.
At quod cæsaries sine arte culta,
Quod demissi oculi, pudénsque vultus,
Simplex ille decor, decénsque cultus;
Artis nescius, & monilis expers.
Quod comis, facilis, benigna tu sis,
Doctrina, eloquio, suauitate
Morum prædita, temperans, modesta,
Arcens blanditias iocósque molles
Ceu flammas animi libidinosas:
Quod virtutibus omnibus deinde
Sis vt mœnibus vndequaque septa,
Queis cunctas superemines puellas:
Quod sanctis studiis reuincta, serues
Quidquid pagina sacra nunciauit,
Et Deum obsequio colas perenni,
Imprimisq; animum geras pudicum:
Quod tu denique sis pudica tota:
Hoc est Lucida quod te amare cogor.

Ad eamdem.

VIxdum rure meo domum reuersum
Pungis me mea Lucida increpasque,
Quod fuscus videor tibi nigérque:
Verùm talibus abstinere dictis
Obtestor: nec enim mihi colorem
Istum quem refugis tenebricosum,
Impressit pater indidítue talem.
Eheu! flamma sed ignium duorum
Quæ me iugiter vrit atque mordet
Sic atro faciem colore tinxit.
Nam dum sub cane feruido pererro
Mœrens auia rura, pérque montes
Excelsos fugio procacem Amorem,
Hinc me lampade Phœbus vrit atrox,
Et vultum coquit, hinc ferus Cupido
Consumit iecur intimásque fibras
Ardenti face, cuius atra fucat
Fuligo faciem prius decoram.
Ergo candida candidum cupis si,
Et tanto in pretio est color, iubebis
Phœbo, nam potes, obsequetur ille,
Inflectat radios seueriores.
Quin tu disce magis perenniores

Quæso Lucida temperare flammas,
Et vultu placido intuere amantem,
Tum ceu nubila pellit atra Titan,
Quamprimum aspicies mihi serenam
Indutam faciem, nec vlla sese
Albedo audeat anteferre nobis:
Non lactis, niuis, alitísue Phœbi,
Nec si candidius quid orbe toto est,
Te præter, mea Lucida, erubescam.

Ad eamdem de Amore surdo,

NEscio cur cæcum mea Lucida dicis Amorem,
Credo tibi nondum tela vibrauit amor.
Non lynx sæuus habet, non custos virginis Argus,
Aut quisquam Diuûm lumina clara magis.
Testis ego, qui per saltus, perque inuia lustra,
Per deserta feror, per iuga montis agor;
Per loca senta situ fugio noctémque profundam,
Vt vitem tanti spicula dira Dei.
Quocumq; aufugiam, lateam in quocumq; recessu,
Me tamen insequitur, me tamen vsque petit.
Ergo cæcus amor non est: verum mage surdus:
Non audit gemitus quos sua tela trahunt.

Ad Dionysium Gombaldum.

SAluus ad nostros venias penates,
Qui lares tandem patrios relinquis:
Qui tot agnatos reditum morantes
Deseris vltrò.
Vt pius claram redeas in vrbem
Quam nouem dulces habitant Camenæ:
Quam sacer Phœbus colit, & Minerua
Artibus ornat.
Audiunt cùm te rediisse ciues
Dij, iubent plectrum resonare Musam:
Vt suo pangat numeris politum
Carmen alumno.
Prodit ad vultus humilis serenos,
Plurimum gaudens hilarísque iussu:
Atque permultam tibi dat salutem
Nuncia Diuûm:
Orat vt queis te placuit reuerti
Sospitem, pergant dare sanitatem
Corpori, læta placidámque donent
Mente quietem.

In vanum poëtam.

DVm tu rusticus, impolitus, audax,
Incomptos recitas rudésque cantus,
Nostrisque auribus obstrepis canendo:
Et te dum toties vocas poëtam:
Cùm iam nomine sis poëta vanus,
Bis vani referes notam poëtæ.

Ad Robertum Dorinum.

QVisquis te vocitat Dorine pætum,
Sit pætus magis ille, terq; pætus:
Nam qui talibus eligens ocellis
Formosam sibi valde Petronillam,
Hac illam face tam citò perußit,
Quam Phebus nitido nequiret orbe:
Quis illum poterit vocare pætum?

De censura.

QVid censore opus est? inquis, censura coërcet
Nam sua quemq; bonum: vix aliena malum.
Mitte queri: modo sis censor tibi, non erit alter.
Censorem haud virtus, sed timet improbitas.

Ad Leonem

Ad Leonem Lescotum Senat. Parisiensem, de suo conuiuio & hortis Clanianis.

Parnassus sacer est Musis: sacer atque Liæo:
Quippe eadem est istis gratia numinibus.
Musa dedit modulis animos lenire feroces:
Atque homines cultis moribus erudijt.
Sic Liber tacitis sensus moderatur habenis:
Irata & mulcet pectora rore suo.
Musa abigit curas: Bacchus depellit easdem:
Lætitiamq; animis numen vtrumque parit.
Dulce camœna loqui docuit. docet Euhyus artes,
Et flatu aspirat carmina culta suo.
Idcirco dum læta paras conuiuia nobis,
Et dapibus festis exhilarare iuuat,
Credo equidem quoniam est istis concordia Diuis
Tanta, iubes horum numina adesse simul.
Et Musis comitem Bacchum facis, atque vicißim
Adiungis Baccho Pierias comites.
Nam dum lætitiam Bacchi largiris abunde,
Nostraq; perfundis nectare corda tuo;
Tum cantus suaues educit Musa, iocósque
Incipit, & numeris personat aula tuis:
Nec mirum: nam Castalias Helicone relicto

Aduenisse ferunt hæc loca amœna Deas.
Audierât Phœbum huc pulchra dulcedine captum
Secessisse olim, nec piguisse loci.
Sic certe est · noui ambrosios crinésq; humerósque:
Incessu & patuit verus Apollo Deus.
Illius arma etiam sunt hîc: hîc aureus arcus
Eminet, & telis plena pharetra suis.
Hîc etiam fontes liquidi, quorum ille sacrauit
Lymphas, quæ vates protinus efficiant.
Felix, ô nimium felix, diuine poëta,
Cui tot Diuorum contigit hospitium.
Eia age, tranquillam sic sic traducere vitam
Perge, & Musarum numina sacra cole:
Accipe quæ cecinit nouus atque repente poëta
Factus, summa tuis dum labra tingit aquis.

Eiusdem Lescoti in versus precedentes.

Ter nuper ternos discumbere, vt optima lex est,
Contigit, & nostra cœna parata domo est.
Quæ Baccho & dapibus, cœnæ quæ musica subsunt,
Carminis arte Pino docta agis & salibus.
Doctis docta hæc sunt doctæ bellaria cœnæ:
Sed mea iam non est cœna, canenda, tua est.

Ad Petrum Longolium Senat. Parif. de ijſdem verſibus.

QVando vix roſeis merum labellis
Attingo, nec amo meri ſaporem,
Hoc cur laudibus eucham requiris:
Increpáſque etiam, vocáſque læſi
In ius numinis, arguens quod auſim
Bacchum iungere ſobriis camœnis:
Sic eſt: ingenuè libet fateri:
Non vatem decuit pium locare
Inter pocula virgines pudicas.
Sed quæ numina læſa, ſi liquores
Dulces Aonidum ſacráſque lymphas
Mero miſceo, temperans calores
Et Bacchi indomiti & furentis iras?
Si quos vertice floſculos virentes
Collegi Aonio, libens repono?
Si conuiua merens ſales iocóſque
Muſæ è fontibus hauriens propino?
Sunt hæc fercula, ſunt dapes inemptæ,
Cœnæ Socraticæ Platonicæq́;:
Sunt obſonia delicata menſam
Queis Horatius & quibus Catullus
Queis Propertius & quibus Tibullus;

Et queis ipse Maro suam parabant:
Quorum scripta diu expolita monstrant.
Non merum ast oleum exolere Musas.
Ergo iungere quid vetat camœnis
Istæc pocula sobrios poëtas?

Annæ Mangoti Senat. Paris. in eosdem versus.

DVm tua perlegerem Musis & Apolline digna
Carmina, fœcundi semina docta soli,
Ingenij mirabar opes, genijq; vigorem,
Artificis qualem pagina culta refert.
Vi tamdem eloquij simul & dulcedine captus,
Concepi hæc numeris pignora chara tuis.
Si non grata tuis sunt auribus, illa peropto
Sanguine firmati fœderis esse loco.
O vtinam tenues quæ sunt in carmine Musæ
Sint lepidæ, & votis dexter Apollo meis.
Protinus immensam laudum per lustra tuarum
Exequerer seriem carmine grandiloquo.
Sed nostris humeris res impar: nec mihi cessum
Bellerophontæi sumere fontis aquam.
Nec meritis mea vota tuis renuente Minerua
Respondere valent, aut dare iura dijs.
Namque Sophocleo tua virtus digna cothurno

Præconem laudis me vetat esse tuæ.
Nunc concede mihi tua nuper lecta requiram,
Felici Aonidum carmina prompta sinu.
Cur Baccho iungis Musas Musisq́; Lyæum
Concilias sancti iure sodalitij?
An quia tantorum coniuncta potentia diuûm
Omnia naturæ munia obire valet?
Bacchi per calices muto licet esse loquaci:
Lymphatos Musæ versificare docent.
Sed mirum quod plus inuinia turba sororum
Poßit vinoso Bacche liquore tuo.
Cumque tuus liquidis liquor ille supernatet vndis,
Et dominetur aquis impositis calici,
Attamen Aonidum liquor enatat, & petit astra:
Astra Iouis sedes astricolûmque domos.
Ascræus sic Pieridum liquor ille liquori
Bacche tuo præstat, nec sinit esse parem.
Præteritis sed enim & vitali lumine functis,
Vitam restituit tempus in omne ratam.
Immortale decus mortalia fata recusans
Viuit, & æternum gloria pondus habet.
Tu contrà genus humanum cœlestibus ortum
Lethes & lethi stagna subire iubes.
Quid tua non perdunt lethalia pocula Bacche?
Vini corpus amans ingeniúmque perit.
Vino forma perit: vino corrumpitur ætas:

Heu quanto constant munera Bacche tua!
Prætendit tenebras, & nubila lumina mentis
Esse facit poti copia larga meri.
Attamen ingenio viuax non respuit vsquàm
Pocula, Pierides sæpe falerna iuuant.
Vina parant animos, faciúntque caloribus aptos:
Aonijs curas excutiente Deo.
Nec semper Venere & Baccho, qui Pythia dixit,
Abstinuit, nec qui sunt in amore Iocis.
Orphea quid memorẽ, Ascræũ quid, & Anacreõ-
Téque potens Grajæ Pindare pote lyræ? (ta,
Quid referam reliquos vno omnes ore camœnis
Inter vina suis deliciásque datos?
Prælia non meminit Troiana impotus Homerus,
Dum cecinit magnûm fortia facta virûm.
Et Maro Silenum venas vt semper Iaccho,
Hesterno inflatum versificare facit.
Hinc est quod medium Musis ostendit Iacchum
Hæc tua Apellæa picta tabella manu.

In fûnus Iacobi Mangoti in Senatu Parisiensi Aduocati Regij, qui obijt Anno 1587.

ECquis præcipiat nunc lachrymis modum,
Aut desiderio iam quis erit pudor,

Cum nobis rigida lege necessitas
Tam carum caput abstulit?
Ergo sæuitiæ Tenareis Dijs
Illustrem genitorem haud fuerat satis
Nuper tollere, ni fas sit adhuc piis
Natum iungere manibus?
O vicina nimis prô scelus & nefas!
Extincti ante diem funera filij!
Tristes exequiæ Gallia queis feret
Iacturam haud similem prius!
Nequicquam proceres & populus tua
Mangote aspiciunt patria limina,
Frustrà tot lacrymans turba clientium
A te poscit opem sibi.
Nam te, vt fama fuit, crediderint licet
Delapsum superis, qui regeres tuo
Sublimi eloquio deuia pectora
Vindex iustitiæ sacræ:
Dum tu Threicio blandius Orpheo,
Insontes animas ducis ab inferis:
Atque ad supplicium pertrahis impios
Oris fulminei sono:
Aut si iudicijs in grauioribus
Nodus iuris erat vel Ioue vindice
Dignus, quiue rei commoda publicæ
Vel fiscum mage tangeret.

Tum cuiuslibet arcana scientiæ,
Te Græcas aperire & Latias opes
Pubes Gallica dum vidit & audijt
Reddentem attonitos patres.
Dum mores niueos, dum pia pectora,
Virtutisque animum præsidium arduæ
Cernit, dúmque inopes sic opibus iuuas
Altorem vt vocitent suum.
Hæc mirata licet Francia credidit
Non mortalem hominem, dumq; tuis faces
Accendunt querulas funeribus vias
Viuum nunc etiam putet.
Heu! Mangote tamen prô dolor occidis!
Immatura tamen te rapuit dies:
Nec nobis superest de te aliud nisi
Angusta cinis vrnula.
O sors æqua parum. Vos animam Dij
Sublimem rapitis fulgidum in æthera:
Nobis relliquiæ pondus iners manent
Tantum, quas colimus tamen.
Has ergo inferias quas damus accipe,
Et si cura hominum est ad superos adhuc,
Sis nostri memor. O te quia credimus
Inter viuere cœlites.

Ad

Ad Ioannem Bonefonium.

CVr te carmine prouocem phaleuco,
Infelix ego, qui poëta non sum,
Quæres forsitan alme Bonefoni.
Sensi numine percitum calorem,
Et vates videor repente factus,
Ex quo contigit hospitari apud te:
Ex quo limina sancta adire vatis
Tunc voti reus, at deinde compos
Tantisper licuit, diésque paucos
Tecum transigere. Ergo Musa gestit
Ad te pergere, versibúsque tentat,
Si poßit, meritas referre grates
Tam grati hospitij, tuúmque nomen
Ad cœlum lepido vocare versu.
Ergo candida perge Musa Barrum:
Et magni pete Bonefonii ædes:
Illum inter choreas nouem sororum
Cinctum Apollinea caput corona
Cantantem inuenies, Apollinémque
Saltantem ad numerum: colenda primum
Tibi hæc numina: dein pusilla surge,
Et quoscumque potes profunde versus.
Nostræ non opus est referre dignas

Phœbo, Castalijs, tibíque grates
Hospes optime. Tu tamen merentem
Ne fac flocci animum: lubénsque sume
Grato ab hospite, grata quæ poëtis
Sunt munuscula: sume quos reponit
Recens hendecasyllabos poëta.
Sed non hendecasyllabos quibus te
Extremos maris euagata fines,
Dudum fama volans ad astra vexit:
Et queis victa iacet superba Roma,
De cunctis spolium ferens poëtis:
Non hæc vis animo est, vt æmulari
Sperem tot Veneres, Cupidinésque,
Quos nec Mercurius nepos Atlantis
Ausit, Pieridésve & ipse Phœbus.
Sed quos hendecasyllabos alumnus
Haud dudum tuus audet experiri,
Dum saluere iubet tuas camœnas.
Et quamquam illepidi, inuenustuliq;,
Si tu exceperis æquiore vultu,
Spirétque aura mihi tui fauoris:
Ausim me in numerum referre vatum.

Ioannis Bonefonij in versus præcedentes.

QVid, ô candide, quid benigne Pino,
Tantis laudibus atque honore tanto
Iactas hospitium tui Bonefi?
Quid gestis adeo atque gloriaris,
Ac te denique prædicas beatum,
Ex quo limina nostra contigisti?
Tu qui iustitiæ forique lumen:
Qui flos, qui decus ordinis togati:
Tu qui rex hominum politiorum,
Eras hospitio ampliore dignus?
Fas contrà mihi Pino gloriari:
Fas meam mihi prædicare sortem
Fortunásque meas; tibique grates
Quantas debeo maximas referre,
Quod angusta licet, licet pusilla,
Dignatus fueris subire tecta.
Nam quis maior honos mihi meísque,
Quam tui hospitij accidisse posset?
Aut quæ gloria contigisse maior
Quam quod hospitio bearis olim
Hos licet tenues meos penates?
Quos tu dum incoleres mehercle Pino,

Non meum hoſpitium, aut mei penates,
Non mea illa domus fuit, vel ædes:
Sed certè fuit illa Gratiarum
Et Phœbi domus, & nouem ſororum:
Aſtrææ fuit illa ſacra ſedes:
Fuit Iuſtitiæ celebre templum.

Eiuſdem Boneſonij in eoſdem verſus.

QVidni carmine prouoces Boneſum
Tu qui carmina tam polita condis?
Tam comptos numeros & elegantes,
Vt non, Pino, nouum aut rudem Poëtam,
Infantem illepidum, atque inelegantem,
Sed vel Auſoniæ vetuſtiores,
Sed vel Auſoniæ venuſtiores,
Poßis carmine prouocare vates?
Tu qui ſiue elegos epóſve tentas,
Siue carmine molliore ludis,
Tam fœliciter omnia experiris,
Vt non te in numerum referre vatum;
Non te adſcribere maximis poëtis:
Sed te Pieriÿ chori magiſtrum:
Sed te regem Heliconis atque Pindi
Fas ſit dicere, principémque vatum

Quotquot prisca tulit recénsque Roma.

Solarij vmbra.

Quæ nil sum, tamen horarũ certum exero signum:
Sic etiam ex nihilo nonnihil esse potest.

Fax seu lampas.

Dum viuo absumor: qui vult me extinguere, seruat:
Dat mihi vita obitum: saluat & interitus.

Nix.

Me genitrix peperit, sed mox ea gignitur à me:
Mirandùm! matrem filia nata creat.

Somnus.

Quidquid agunt homines, differt à paupere diues:
Verum inopes facio regibus esse pares.

Virgo Maria.

Quæ sum dena quater post secula nata puella,
Seclorum genui non temerata patrem.

In obitum Guidonis Comitis Vallæi Epicedium.

Gallia quæ nuper bellis exhausta iacebat,
Ignibus & telis semisepulta suis,
Fœta armis, cinere ex ipso, meliore fauilla,
Educit magnos ad noua bella duces.

Magnanimi heroës externa ad prælia surgunt;
Pannonióque iuuat figere tela solo.
Hîc Vallæus equo medios dum fertur in hostes,
Iámque redit victor parta trophæa gerens,
Prô dolor! occumbit ferro percussus iniquo:
Et dedit ante dies inuida Parca neci.
Felix ille tamen pro relligione fidéque
Dum cadit, & quisquis sic cecidisse potest.
Nusquam aberit terris tantarum gloria rerum;
Æterna at cœlo vita, perennis honos.

In statuam Henrici IIII. Franc. & Nauarræ Regis.

HEnrici Magni effigiem quali ibat in hostes
Ceu Mauors, mira condidit arte faber.
At non ardentes oculos: non fulmina belli:
Non animos quales hic gerit, illa refert.

Fabricatio mundi.

PRincipio confusa Deus cùm cuncta creasset,
Et cœlum & maria obtegerēt terrásq; tenebræ,
Est prima lux facta die & semota tenebris.

Altera inundantes mundi disclusit abyssos.
Atque ab aquis secreuit aquas: cœlumq; locauit
In medio, sursum ingentes quod haberet aceruos.
Tertia nostrarum cumulos diduxit aquarum:
Atque grauem immenso diuisit ab æquore terram:
Terráque sementem, fructus, produxit & herbas.
Quarta dedit nitido fulgentia sydera cœlo
Conspicere, errantésque globos, clarissima mundi
Lumina, nocturnam Lunam, Solémque diurnum,
Astráque, quæ certis monstrarent tempora signis.
Quinta auium genus omne tulit, pictásque volucres:
Atque omnis generis pisces, & grandia cete:
Et quæ cæruleo fert monstra sub æquore pontus.
Denique quæ in terris animalia cætera degunt
Sexta dies tandem peperit. Sicq; omnibus vltrò
Appositis, possessorem dominúmque bonorum
Tantorum luce omnipotens formauit eadem,
Nempe hominem, cui diuina effulgeret imago:
Et senis perfecit opus tam grande diebus:
Septenóque, operi requiem quæsiuit: & illum
Perpetuò sacrum iussit sanctúmque vocari.

Ætas mundi ad Petrum Longolium Senat. Parif.

QVæ fuerit mundo Chrifti natalibus ætas,
Optafti mi Petre, *tibi me fcribere verfu:*
Vix tamen hac aufim de re promittere quidquam,
Vfque adeo incerta eft & adhuc fub iudice pendet.
Ac primum veterum folers doctrina fophorum
Naturæ impulfu tantum, nec lumine vero
Illuftrata, Deum quoniam iam crederet effe
Aeternum, templúmque Dei mundum effe putaret,
Confpicuum ornatu tanto, cui fphærica forma
Principium finemq́; vetat dignofcere in vlla
Parte fui: æternum mundum quoq; cenfuit, atque
Principio caruiffe docet, nullúmque futurum
Finem illi. Nos edocti meliore magiftro,
Scimus vt omnipotens magnum per inane crearit
Ex nihilo, quidquid cœli terræq́; marifq́; eft
Dum verbo iubet vt fiant: tam mira fupremæ
Vis patuit vocis, diuiniq́; halitus oris.
Scimus vt ille dies, vt menfes fecit, vt annos,
Aftráque queis varijs diftinxit tempora fignis.
Pagina facra tamen diuerfis edita linguis,
Dum patrum ætates varias & tempora fignat,
Ob voces rerum ambiguas & homonyma verba,

Temporis ambiguam summã numerúmq; reliquit.
Septuaginta etenim si vera metaphrasis vsq; est,
Annorum ex illa subducere millia possis
Quinque, quibus ternos ter iunxeris atq; trecentos. 5309.
Amplius at seclo distant, qui deinde sequuti
Historias scripsere sacras Eusebius atque
Origenes. Namque hi bis centum & millia quinque 5200.
Dumtaxat numerant. Sed per compendia rursus
Hebræa editio graditur, quæ millia tantum 4089.
Quattuor & nouies denos si dempseris vnum
Subducit. Sicq; ex senis ætatibus illa
Strictim colligitur ratio. Nam prima parentum
Ætas diluuio contermina constitit annis
Sex quinquaginta & sexcentis mille. Secunda 1656.
Perbreuis Abrahami patris quæ clauditur ortu,
Bis centum putat & ternos deciésque nouenos. 293.
Tertia ab Aegypto lætus quam terminat alti
Exitus Isräel populi spolia ampla ferentis,
Bis denas hyemes septingentásque peregit. 720.
Quarta Salomonis templi fundamine primo
Clausa, quatercentum deciésque perambijt octo. 480.
Quinta cui finem Babylonica vincla dedêre
Trans patriam missi populi, bis secula complet
Bina, nouemdenos & cum sex mensibus annos. $419\frac{1}{2}$.
Denique quæ Christi spatia vltima claudit in ortu
Ætas sexta, ferè quingentis substitit atque

520. ann. men 8. *Ter septē: & summam præfatam impleuit abundè.*
di. 20. *Tu, mi Petre, tuo perpende examine quisnam*
An 4089. men. 2. *Iustior aut melior sit calculus: haud mihi namque*
di. 20. *Otia parua sinunt tantas componere lites.*

In superbos Satyra.

Vane quid insanis? Quæ tanta superbia mentem
Exagitat, tumida vt disrumpant pectora flatus?
Anne ortus longè egregij tibi gloria surgit?
Si genus antiquum spectes ab origine prima,
Et memorare tuæ libeat primordia gentis,
Maiorum primus factus ceu fictile limo est:
Fœdáque materies ortum dedit ista priorem.
Hinc regésque ducésq; auro gemmisq; micantes;
Inde omnes rexere suis qui legibus orbem
Augusti, Diuos quantumuis fama vocarit.
Et decus omne suum luménq; & stemmata ducunt.
Aut si adeò repetisse altè tua semina non vis:
Natalémque magis propriúmque aspexeris ortum:
Heu miser! heu! quam non deceat te efferre memento.
Nudum te genitrix terra produxit in vda
Plorantem, prædámque feris, si occurrerit vlla,

Exposuit, telis vacuum sine viribus vllis:
Nec fugisse quidem dedit, aut vestigia firma.
Quando etenim est homini incessus? qua ætate valet se
Erigere infelix? quandiu procedit ad instar
Quadrupedis? quandiu vertex & mobile collum?
Quando recti oculi, vox articulata, cibisque
Os firmum, firmæque manus, queis præbeat vltro
Nutrimenta sibi? certè nisi proxima subsit
Illico nascenti mulier perdocta, misellum
Quæ fotum gremio excipiat, fletúmque mouendo
Leniat irati, medium & secet vmbilicum
Externis velans opibus, vel frigore obibit:
Vel prius hæc alimenta dabat quæ massa cruoris
Intestino hærens, qua se olim sede locarat:
Opprimet, & tenuis vitæ iam stamina soluet.
Nec satis est experta adsit, nam sedula nutrix
Vt sit præsto opus est, quæ post horam vbere lactet,
Si forte haud superat mater, premitúrve dolore,
Aut lacte indigeat sano. Sic mille periclis
Obijcitur, qui mentis inops, qui rebus egenus
Nascitur, vt lucem nequeat traducere primam,
Alterius nisi fretus ope externísque tegatur
Sarcinulis. Nec ad illa tamen discrimina vitæ
Peruenisse vlli fas est, maiora priusquam
Vitarit grauida mater dum gestat in aluo.

Nec rara ista quidem. Quid enim si languida corde
Semianimisque cadat, nec sit qui apponat acetum?
Quidve vterum si turba premat per compita, pérq;
Delubra, aut lapidem si forte offendat ad vllum?
Aut subitus si forte pauor præcordia lædat?
Quid quod abortiui partus creduntur, odorem
Si tetrum imbuerint, extincta, vt sæpè, lucerna?
Et mirum aßiduis vt non fœtoribus alui
Embryo maternæ intereat, quibus incubat vna
Membrana distans vteri: tam sordidus ortus
Est illi, in cœlum qui vult attollere cristas.
Eia age nunc, suffla: & nequicquam inflatus anheles
Qui tanti poteras occumbere morte, priusquam
Aetherea fruerere aura, lucémque videres.
Cuique etiam demum nato natura nouerca
Abnuit adiumenta aliis nascentibus vltrò
Quæ dedit, vt cocleis testas, pennásque volucri:
Vellus oui: pisci squammas: villosa quibusdam
Aut setosa dedit, spinosáve terga, pilósve:
Arboribusq; adeò sensum licet ipsa negarit,
Consuluit magis, & duplici persæpe retexit
Cortice, quo duras hyemes æstumq; repellant.
At prima hæc rudiora, inquis, cunabula pridem
Euasi: mihi nunc ætas animúsque virilis:
Et perstant validæ iuuenili in corpore vires.

Quid porro? Sunt & brutis animantibus ista,
Et potiora quidem multis: vixq́; vlla ferarum est,
Cui vel fortis homo contendere viribus ausit.
Et ni te miserum diuina potentia seruet
Assidue, fieres iam præda immanibus istis.
Ergo animos summitte: tuis ne crede lacertis,
Heu! lateri ne crede tuo: ne forte Milonis
Sis Crotoniadæ similis, qui robore fisus
Dum manibus mediam tentat rescindere quercum,
Iámque aperit sese stipes: tum nititur illa
Contra, ad se rediitq́; celer: complexáque fortem
Fortior oppressit: truncoq́; exanguis adhæsit.
Scilicet hæc vani sua præmia digna laboris
Accipiunt, propriáque ruunt vi & mole superbi.
Nec numerum plus posse putes conamine magno:
Nec magis instructas equitum peditúmq́; cohortes,
Aut latè inflexos currus, bellóque frementes
Directas acies magnorum ex ordine regum,
Quam si tres quatuórve aliquid de viribus audent:
Nam si vere nouo quot surgunt vertice flores:
Quotq́; sub obscuram noctem micat ignibus æther,
Millia tot possent hominum consurgere bello,
Confisiq́; suis pertentent viribus vllum
Exequi er facinus, supremáque numina temnant:
Nequicquam studeant vano indulgere labori.
Hos totidem pater omnipotens despectat ab alto,

Pernumerátque oculis, ridens molimina vana:
Vestigánsq; imas abstruso in corde latebras,
Nota sibi secreta aperit, fraudésque, dolósque,
Iámque superba patet vanæ fiducia mentis:
Irritáque effugiunt subito dilapsa per auras
Consilia. Ac veluti quantò se fumus in altum
Extollit, tanto citius vanescit abitq;
In nihilum: sic cœpta hominum perquam ardua cernas
Effluere, ac leuibus fieri ludibria ventis.
At forma egregius iuuenis: facundus, & arte
Ingenium varia excultum: tu ditior omnes
Immensis opibus superas: hæc nempe superbum
Attollunt animum: & cœlo caput arduus effers,
Hinc fera corda tument. Sed nunc circumspice quantis
Et quot subiaceant præclara hæc dona periclis.
Perdidit Hyppolitum Crispumq; & Bellerophontē
Forma, per expulsæ scelus exitiale nouercæ:
Formosus rapitur Sylius: sibi Cæsaris vxor
Desponsare palam vult, & iubet esse maritum:
Nec mora, connubium trabeatus inaugurat auspex
Corām patriciis populoq;: thorúsque iugalis
Sternitur, infelix miseræ complexibus hæret
Augustæ: sed fama volans mox venit ad aures
Principis, hesternæq; luit lux crastina pœnas

Lætitiæ, extinxitq; ambos sua forma nocentes.
Nec tantum inuitos, sed & hæc quoq; fata volẽtes
Expectant mœchos: vt si riualis adulter
Obuius occurat forsan prope limen amatæ:
Vel pater aut coniux te suspiciosus ad illam
Incautum excipiat, tum candida colla furenti
Præbenda hæc gladio: precibus nec flectitur vllis,
Aut lachrymis dolor ille, sibi nec temperat vnquã.
Nec doctrina magis tutum aut facundia reddet:
Seu te causidicum per Gallica rostra tonantem
Audiat attonitum vulgus, lauditque Senatus:
Seu tu purpureo velatus syrmate, iudex
Sublimi è solio ius dicere nôris & æquum,
Imperiíve magis grauiora negotia tractes:
Horum quidquid eris: seu quid forte altius audes,
Te maiora manent discrimina: tantáque virtus
Vix inimicitiis vix inuidiáque carebit.
Et quot ab iniustis miseros tua dextra clientes
Eximet, offendet totidem, sed iure, nocentes:
Nec delatoris cessabit lingua, priusquam
Nutantem eijciat fortunæ à culmine tanto.
Sed tua ne te inflet facundia, respice qualis
Exitus extiterit Demosthenis, & Ciceronis:
Quod genus interitus Senecæ: quod Papiniano.
Non referam similes hac nostra ætate patratas
Cædes, tótque viros indigna morte peremptos,

Insigni eloquio doctrináque insuper omni
Præstantes: pudet hæc secli memorare nefanda
Flagitia & mores: tu Diuio, túque Tolosa
Nostis, túque viris indigna Lutetia tantis.
Heu miseri! tanto cur quæritur ista labore
Gloria, cur vulgi famam affectatis inanem,
Si tam difficile est vitam cum laude tueri?
Sed tibi diuitiæ: tecta ampla: domúsq; superbis
Stat foribus, te turba ingens vbi mane salutat:
Hinc famuli famulæq; adstant: tibi cœna paratur
Lautior, auratis mensis stratisque recumbis
Cum grege amicorum, securus nempe quod intus
Atria miles habet, qui alternis excubat horis:
Et te multa cohors semper comitatur euntem.
Quid timeas, inquis, tali stipante caterua?
At contrà metuenda tibi est custodia primùm:
Quique domi plures seruos alit, hosce tot hostes
Esse putet: numero crescente, audacia crescit:
Et magis in tuto est qui non habet: omnia norunt
Hi secreta domus, loculos, & nomina quæuis
Optima, vel si qua lateat thesaurus in arca:
Hæc animum accendunt ad prædam, ad furta, rapinas.
Dum faciles aditus, dum peruia tempora norunt,
Et graue paupertatis onus suadétque iubétque:
Inde necem domini peragunt. Fiducia maior
Non

Non tibi sit multis, qui te sectantur, amicis,
Pars cœnam sequitur ceu lapsa cadauera coruus:
Hic agrum, ille domum captat, pignúsve remitti:
Alter amicitiam simulat, laudátq; frequenter
Diuitias & opes quibus inuidet, æstuat, ardet:
Optat habere sibi: spe deuorat, imminet illis.
Et magni tandem vitæ insidiatur amici.
Ergo animum, quicumq; sies, depone superbum:
Nec te nobilitas, nec honor, nec bellica virtus,
Formáq;, diuitiæq; omnes, facundia & artes
Extollant: propria hæc non sunt: sed dona parentis
Cœlicolæ, tibi quæ certa mercede locauit.
Et cui plus dederit, plus & repetetur ab illo:
Vsurámque sui persoluet quisque talenti.

In Crucifixum.

Siste gradum, horrendámque istam tu cerne, viator,
Effigiem: sed quis reus hac ex arbore pendet:
Quod scelus infandum admisit: quæ caussa serenos
Fœdauit vultus: laceratáque vulnere membra
Inquiris, cúrque hac redimitus tempora vitta:
Rexne erat, aut aliquis longa de stirpe nepotum,
Æmula quem regni sic gens inuaserit hostis.

Dicam: fas etenim sacrata resoluere iura,
Nec meminisse horrent animi: vix credere dignum est:
Sed res vera tamen, nec qua res certior vlla est:
Quem ligno affixum clauis tu cernis in isto,
Chara Dei est soboles: summi patris incrementum:
Quem genitrix virgo peper., quem lacte nutriuit*
Virgineo, quamquam ille æuo Deus esset ab omni.
Delapsum in terras humanam vt sumeret vltro
Naturam, humanúmque nefas vt triste piaret:
Atque hominem pridem temerata ob iussa salutis
Exortem, proprij saluaret sanguinis vnda.
Non fuit ergo reus: sed nos miseri atque nocentes.
Hoc graue supplicium, tormenta hæc ista, nefandu
Criminibus debebantur maioraq; nostris.
Et quas gens humana pati pœnásq; crucésque
Debuit, has Christus luit immaculatus & insons.
Et qui spiritibus terrenis atque supernis
Dat iura omnipotẽs, hominum stetit ante tribunal:
Sustinuitq; alapas nebulonũ, atque improba dicta:
Scommata, derisus, & falsa opprobria vulgi.
Sed neque per totam puduit traducier vrbem
Indutum modo purpureis, modo vestibus albis:
Non fœcem atque lutum, non sputa infamia cordis
Impuri in facie diuina exhorruit, atque
Non metuit flagris cædi, ceu latro, reuinctis

Ad ſcapum manibus, totoq; in corpore diris
Vulneribus paßim configi ſanguine fuſo.
Præcinctum ſpinis caput vndique ſenſit acutis,
Plurimus vnde cruor flueret; vultúſque madentes
Cæſariémque ipſam & conſperſos ſanguine crines.
Hoc eſt quod diadema rogas: quódque anxius hoſpes
Inquiris: per contemptum fuit iſta corona
Ceruici deuincta ſacræ, quod ſe ille profeſſus
Iudææ gentis Dominum regémque vocaſſet.
Sed fruſtra: nec enim terreſtria regna cupiuit
Vnquam, aut fortunas regum imperiúmq; decusq;
Ambijt: aſt humili ſe conditione recluſit.
Sed rex ille tamen: materno à ſanguine regnum
Dauidica de ſtirpe ſatus ſibi iure paratum
Adſcripſiſſe ſibi poterat: verum ille negauit
Eſſe huius ſecli coram ſua regna, docétque
Diuitias regum & mortalia temnere regna,
Pauperiémque pati, & duros tolerare labores.
Et tandem extremum hoc voluit perferre libenter
Supplicium, indecorique neci ſeſe obtulit vltrò.
Ah! quæ cauſſa iubet tam diræ occumbere morti?
Cur tam crudeles optauit pendere pœnas?
Omnia vicit amor: pietàſque ad dura coëgit
Funera, & humanæ cauſſatur cura ſalutis.
Ergo Deus moritúrne, inquis, atq; occidit hoſpes?

Non moritur Deus: at moles humana reliquit
Tantisper sacratam animam, iacuitque sepulchro:
Nec dum terna dies radijs lustrauerat orbem:
En corpus Christi exanimum, res mira, resurgit
Sydereum, & nexum vinclis non amplius vllis.
Attonitæq; fores tumuli lapidésque patescunt:
Insignémque refert deuicta morte triumphum.

In eumdem.

D*Esine mirari, & caussas ne quære latentes,*
Cur tot aquæ cœlos suprà: curq; infima cœlis
Tot maria & terræ subsint: tellúsque sub axe
Pendeat aërio nullis innixa columnis:
Nec cadere in cœlum metuant vestigia nobis
Qui signant aduersa, premi nec pondere tanto.
Nec mirare magis, cur hæc symphonia discors
Prodeat ex varijs astrorum motibus; atque
Aestates hyeme͏́sque fluant ratione locorum
Distinctæ: hîc nam sæuit hyems, dum Sirius vrit
Antipodas: vernátque illic, dum vinitor vuas
Noster agit prælo, atque cadis sua vina recondit.
Desine mirarique vndas exire perennes
Rupibus inclusas siccis; tot flumina latè
Implere; atque eadem postquam se vallibus imis

Addiderint, sterilésque agros & prata rigarint,
In mare vorticibus ferri prorupta, nec æquor
Increscat tumeátque magis, vel fluctus abundet.
Quam multæ volucrum facies, quot monstra ferarum
Quámque natent multi varijq́; sub æquore pisces:
Vix tamen inuenias similem referentia prorsus
Millibus è multis animalia bina figuram.
Materiásque putres animantum sumere formas:
Haúdque animata modo, ætheria nunc luce fruisci.
Ne stupeas: sunt illa Dei, sunt omnipotentis
Facta manu, totum ex nihilo qui condidit orbem.
At mirare magis, stupeásque horrore tacendo,
Vt cui tantarum debetur gloria rerum;
Qui cœli rex atque maris terræq; patentis:
Sublimi è solio superisque è sedibus vltrò
Descendens, istas habitatum venerit oras:
Femineo nasci ex vtero dignatus, & artus
Induere humanos, sortémque amplexus iniquam.
Non in regifico luxu, pannisque superbis,
Aut cunis aureis iacuit: præsepia sacrum
Sustinuere caput fœno constrata reperto.
Hîc primos infans vagitus edidit: illic
Enixa est mater puerum, admouitque sacrato
Vbera prima ori. Nec postquam firmior ætas
Prouexit iuuenem, cœlo caput extulit altum.

Nam quamquam huic mater virgo, fuit illa hymenæis
Legitimis coniuncta viro: qui numine Diuûm
Insomnis monitus, puram intactámque reliquit
Mente colens, sacrámque Dei veneratus vt ædem
Abstinuit. Fuit ille faber lignarius: huic se
Ceu patri obediens addixit Christus, & arti
Applicuit, partémque sui faber exigit æui:
Et victum manibus sanctis operúmque labore
Conquirit, tanto est inopes complexus honore.
Filius & fabri passim per compita dici
Sustinuit, famæ vt maternæ consulat: vtque
Diuini Satanam lateant mysteria verbi.
Sed tandē postquam legem & mandata paterna
Edocuit populum, & sanctis sermonibus in spem
Cœlestis regni erexit, manifesta recludens
Signa sui, dubijsque fidem iam mentibus auxit.
Heu! pietas. Heu quantus amor. cœlestia nutu
Qui regit, & summo terras despectat olympo
Hanc agitans molem, & vitam mortalibus ægris,
Vt libet, inspirans adiménsque, in vincula tradi
Vltrò hominum patitur; libito & se prodidit horū
Arbitrio: siue opprobrijs illudere capto
Certatim iuuet aut colaphis, seu fœce lutóque:
Verberibúsque adeò laniatum corpore toto
Aspiciant nudum, & vinctum prostare columnæ:

Siue etiam insontis vitam cum sanguine fundant,
Cuncta extrema pati voluit: non vlla refugit
Supplicia: indecorem mortem & tormenta latroni
Debita sustinuit: quemque inspexisse beatæ
Angelicæ gaudent turmæ, satiantur & omnes
Cœlicolæ aspectu cuius, laudántque perennè
Delicias cœli, prô dedecus, in cruce dira
Pendentem aspiciunt, crucibúsque hinc inde latrones
Affixos: cernunt faciem formosior vlla
Qua non ante fuit, madidam aspersamq; cruore:
Præcinctúmque caput spinis diademate texto:
Scissaq; vulneribus diris atque horrida tabo
Membra vident, clauisque pedes per mutua nexos
Confixos ligno, & magna vi brachia tensa.
Summe pater, si tanta hominum scelera atque nefanda
Flagitia extiterant, vt non mortalibus vllis
Deleri possent pœnis, vel morte piari:
Nónne fuit satius sceleratam extinguere gentem:
Aeternisq; homines tenebris orcóque teneri,
Quam Deus ob nostros pateretur talia lapsus?
Aut si tanta fuit nostræ tibi cura salutis:
Victimáque ob noxam potuit tibi grata parari,
Immaculata tamen: cur non demissus ab alto
Angelus, humanos artus assumpsit, vt isti

Damnetur letho, & se infami destinet aræ?
At si tantus amor nostri, Deus optime, sanctum
Iuuerit vt gnatum nostro vouisse piaclo:
Num fuerat satis hoc modicum fudisse cruoris;
Quando puer primis est circuncisus ab annis?
Annon gutta sacri suffecit sanguinis vna?
Nil non perpessus tamen est: cunctúsque recessit
Humor purpureus venis, pretiosior vt sit
Nobis parta salus, per tot quæsita dolores.
Vitáque cum gemitu tandem indignata refugit.
Prô dolor! ergo mei caussa, ob noxamq; meorum
Huic Deus occubuit morti, pœnisque nefandis?
Mens stupet, arrectæq; comæ stant, faucibus hæret
Languida vox: dubiamq; fidem nî gratia firmet
Christe tua, & teneris animum lactasset ab annis,
Somnia vana putem, & pueris vix credita nostris.

Miracula in morte Christi.

D*Vm mortem crucis oppetit cruentam*
Christus, atque animam patri litauit:
O lux horribilis! dies stupenda!
Extinxit radios dolore Titan,
Non per nubila densa subtegendo,
Vndisve hesperijs iubar recondens,

Congressu

Congressu aut modicum latens Dianæ,
(Nam tum fulserat orbe luna pleno)
Toto at deficit & laborat astro.
Axis & tenebras vterque mundi,
Nec non & Meroë, & Siene sensit.
Terra horrore tremit, tremuntq́; montes:
Franguntur lapides: mouentur imis
Saxa sedibus: exeunt sepulchris
Manes: & rediuiua mortuorum
Multa corpora præ fragore surgunt.
Cœlum inhorruit: angeli pauescunt:
Totus denique contremiscit orcus.
Siccis tu tamen hæc vides ocellis,
Imperterritus, indolénsque restas,
Dure Homuncio! te neč ista tangunt:
Vecors, improbe, dire, ter sceleste,
Expergiscere, ferreúmque pectus
Contunde, & lachrymas ciere tenta:
Luge, contreme, congemisce, plange:
Ni sis durior, omnibus vel istis
Quæ sensu atque anima carere cernis:
Aut immotior Alpibus niuosis:
Vel cadaueribus stupore maior:
Orco denique sæuior nefando.

In lignum crucis Dominicæ.

O Felix nimis, ô beate ſtipes:
Arbor viuida nec terenda ſeclis:
Quocumque in nemore exoriris, ortum
Procumbens veneror tuúmque numen.
Felix quæ tabulas trabéſque digna
Sis producere, queis adhæſit vnco
Ille rex hominum Deûmque Chriſtus:
Chriſtus ille hominum & Deûm redemptor.
Felices tabulæ, trabéſque dignæ,
Vnde noſtra ſalus redemptióque,
Vnde mundi opifex Deus pependit.
Felices quibus obtigit ſacratos
Artus tangere, verticémque ſanctum
Diuini capitis deoſculari.
Sed ô vos iterum beata ligna,
In tot millia partium reciſa,
Quæ totus recolens adorat orbis.
Veſtro munere me beauit olim
Vir ſanctus, minimúmque poßidemus
Veſtri, non meriti, at tamen merentes.
Ergo quantulacumque noſtra pars ſis:
Te totam vt veneror crucem colendam,
Amplectique iuuat: memorque noctu

Te gestare libet diuque collo,
Atque vdo simul ore suauiari.
Dulces exuuiæ: perenne pignus
Vos estote mihi: iacete semper
Mecum, siue domi forísve degam:
Seu terras abeam vltimas peragrans.
Nil mortale dehinc amare tantum;
Nil suprà colere opto vel cupisse:
Vos præter nihil est amore dignum.
Quin vos oscula, basiationes,
Vos & deliciæ & suauitates,
Ne contingite tam verenda sacra:
Sed vos huc lachrymæ vberesque fletus,
Vos & mœstitiæ piÿque luctus,
Adeste, atque meum rigate vultum:
Flete in tristitias, atque amaritate,
Hæc piacula pertulisse Christum,
Dum nos tartareo redemit Orco.
Ast inter gemitum vberisque fletus,
Inter mœstitiæ piósque luctus,
Te gestare tamen suaue lignum
Amplexuq; libet tuo potiri.
Quò dulcedine, quò suauitate
Tanta, sic mea mens inebrietur?
Vt mortale nihil cupisse tantum:
Nil suprà colere, aut amare poßim.

Tanto pignore plus satis beatus.

Nicolai Borbonij in versus præcedentes, de Crucifixo.

HInc facessite blanduli Catulli:
Hinc discedite comptuli Tibulli:
Nasones procul, & procul Marones:
Et si qui numeros cient profanos,
Concinuntque modos parum pudicos.
Iocosæ mihi displicent Camœnæ
Isto tempore macerationis,
Pœnitudinis, atque lachrymarum.
At vos patritiæ venite Musæ,
Plenæ mellis & elegantiarum:
Docta carmina candidi Pinonis,
Qui graui pede sacra Christiana
Ingentémque canit crucis triumphum.
Mellitißimus omnium poëta:
Integerrimus omnium senator:
Argumenta fide petens ab ipsa,
Quæ Prudentius & pius Iuuencus,
Authorumq; alij vetustiorum
Sumpserunt Latio canenda versu.
Sed dulcedine non stili Catullo,
Non dulcedine carminis Tibullo,

Nasoni neque cedit aut Maroni.
Quare patritiæ venite Musæ,
Plenæ mellis & elegantiarum:
Docta cormina candidi Pinonis
Vos exosculor, ô piæ Camœnæ,
Et totis relego lubens diebus,
Isto tempore macerationis,
Pœnitudinis, atque lachrymarum,
Duro Iuppiter! & laborioso.

In obitum Simonis Marionis in senatu Parisiensi Aduocati Regij.

LVgete Musæ maximi proles Iouis:
Vos lachrymosam ferre nunc decet togam:
Et Gratiarum cœtus, & chori pater
Apollo plora: nunc procul ioci, procul
Sales facessant. Funde Melpomene graues
Mœstósque cantus: vester ille Mario
Alumnus olim dulcis & charissimus,
Defunctus vmbris occubat crudelibus,
Pressumq; nexus inuidæ mortis tenent.
Decuitne tantis dotibus mentis virum
Ornare, Diui, sic cito vt mortalibus
Hunc inuidentes eripi haud esset nefas?

Diuina vis quid & ſtupenda profuit
Linguæ diſertæ? Quid iuuat pondus graue
Sententiarum? quid ſuauis auribus
Orationis influentis lenitas?
Gemmæ quid illæ, quid venus, vel quid decor
Oris rotundi profuere mortuo?
Nil hercle quidquam: nil peracris ingenî
Scientiarum fons perennis contulit.
Ducunt volentes fata, nolentes trahunt:
Gaudéntque magnos verrere vt plebem viros,
Mors cuncta ſorbet: non pepercit Socrati
Demoſthenią; non pepercit Tullio,
Non & Maroni, cæterisq; vatibus.
Vnum ſed illis non perire pertulit,
Laudem perennem viuidámque gloriam
Seclis futuris. Sic colende Mario,
Non his ſecundus, at prior palmam ferens,
Viues in æuum poſteris nepotibus
Laudéſque dicent mille ſeclorum tuas,
Et ſi quid vltra eſt. Artium hæc merces erit
Facundiæq;: plura ſed dabit Deus
Quod extitiſti numinis cultor ſui
Vindexq; conſtans: quod ſeuerus & tenax
Seruator æqui: libra non clientibus
Nutarit vllis: ſemper & nocentium
Non flexus vltor, forte propugnaculum

Iustis bonisq; fraudis atque nescijs.
Denique quod omnis cursus ætatis tuæ
Primus ab annis innocenter actus est,
Scandes per astra vectus ætherias domos,
Fruiq; Diuûm pace perpetua dabit.

Obijt Lutetiæ 11. die Februarij anno Domini 1605. ætatis 65.

Henrici Magni Cenotaphium.

HEnricus iacet hic Magnus, ne quære viator
Plura, sat est tantis manibus hic titulus.
Ars impar negat hîc laudes, negat ista tabella:
Tot res egregias vix capit orbe polus.
Hoc decus humano generi fraude abstulit Orcus:
Quoque frui vt possent non vetuêre Dij,
Corripiuntq; animam. Nempe his humana propago
Est nimium tanto principe visa potens.

Ludouici Nau ad Iacobum Pinonem, PINVS.

TRaxisti à pinu, Pino comißime, nomen:
Pinu quæ rutilos tangit amata polos.
Estis enim similes: vt fronde virescit acuta
Semper, acutus & es semper & inde vires.

Sicut odoratam non lædunt frigora pinum
Nec folijs vnquam dispoliauit hyems:
Vere nouo semper flores, & laude recenti,
Inque dies maior crescis in ore virûm.
Seu tua te pietas, seu te facundia, seu te
Commendet Themidis iustus in æde tenor.
Pinus vt æthereas se vertice tollit ad auras,
Spernit & abiectum vecta per astra solum:
Sic tu, sic fama notus super æthera, Pino,
Despicis humanas natus ad alta plagas.
Describis radio mundum, tu Dædalus alter
Contemplator adis in penetrale Iouem.
Non fugit Empyrij te arcana chorææ Pyropi,
Nec quæ dispositus fœdera mundus habet,
Terræq; tractúsque maris, cœlúmque profundum,
Ludicra sunt cytharæ pægmata, Pino, tuæ:
Vnde opus æternis flatum venerabile seclis
Threiciæ ornandum munere, Pino, chelis.
Sic tu non Pino, sed Pytho dicier omni
Et potes & poteris tempus in omne loco:
Placatura Deos, vt pinus thura ministrat:
Sic mulces hymni carmine Pino Deum.
Sic & non proprij contentus sorte penatis,
Ædificas alij templa dicata lari.
Hospitij magna struxisti in parte sacellum,
Quo sacris perpetuo myrrháque thúsque calent.
Et bene;

Et bene; nam vt Pinum Iouis olim mater amabat
Est tibi non ficti mater amica Iouis.

Iacobi Pinonis ad Ludouicum Nau Nauis.

DVm canis excelsam Phœbæo in vertice pinum
Ludit & in nostro nomine docta chelis,
Arboris eximiæ laudes agnosco: supérque
Nectareas addo quas gerit illa nuces.
At mihi non talis debetur gloria: verùm
Laudi erit æternùm laus mihi dicta tibi.
Nomine & in nostro si quod prætenditur omen:
Nomina pars nostri sunt tua, & omen idem.
Sed tua præcellunt tantum, quantum arbore nauis
Dignior, ex pinus arbore facta licet.
Nauis nomen habes: pinus mihi nomen habetur,
Est mihi materies, sed tibi cessit opus.
Nauis habet lignum quod pinus præbet: at vltrà
Continet hæc pinum qui seruëre viros.
Quando hominum pecudumq; genus Deus obruit vndis,
Relliquias horum protegit vna ratis.
Delectos Graiûm heroas in Colchida vexit

Argo, & virtutis præmia digna dedit.
Alta petit pinus: petit ardua nauis, & altum
Æquor, & insuetas audet inire vias.
Pinus fronde viret semper: tamen interit annis,
Sæpius & ventis fulminibúsq; perit.
At fluctus solet, & ventos contemnere puppis,
Nec minus æquoreis nauita fertur aquis.
Si tamen obruitur, tabulas legit institor, atque
Mox reficit quassam, fitq; eadem ipsa ratis.
Pinus odorifera est: Syrium sed nauis amomum
Balsamáque & myrrham thura Sabæa vehit.
Fert pinus suaues fructus: ratis aduehit illos
Quidquid & humani delicium est generis.
Dilexit pinus Diuûm Berecynthia mater,
Montibus Idæis verticibúsque satas:
Non tamen esse deas voluit, Troiana priusquam
Ex illis fieret classis, & alta petat.
Nauibus asportantur opes, gaza Indica, gemmæ,
Et spolia è populis eruta barbaricis.
Hinc nauem excusam regale nomisma gerebat
Iane, peregrinas cum prior addis opes.
Hanc quoque pro scuto insigniq; Lutetia sumpsit,
Iam Roma ingeniis clarior atque opibus.
I, felix igitur nauis, flatúque secundo
Sic Latias nobis aduehe semper opes.

De ſua villa,

Ad Nicolaum Borbonium P. R.

HÆc incondita fert Manellus ad te,
Borboni, vt venias, rogo venito,
Ad cœnam modicam, dapeſque paucas.
Non rhombus tibi vel ſcarus paratur:
Non phaſes etiam, nec ortolani:
Tam molles epulæ cupediáſque,
Noſtra haud rura ferunt: dapes inemptæ
Nobis ſufficiunt, puſilla præbet
Noſtra villula quæ ſatis ſuperque:
Villa Vitriaco ſedens in agro,
Pago illo celebri, at magis celebri
Mænardi egregio & ſuaue cantu.
Magni qui fuit Hoſpitalis olim
Seceſſus, ſtrepitus vbi forenſes
Vitans carmina tam polita fudit.
Nec villam, licet eſt puſilla, noſtram
Borboni precor æſtimato parui,
Hancque inuiſere ne graueris, audi.
Extra mœnia ruſticáſque ſedes
Lata eſt planities patenſque campus,
Illum vitifer ambit inde collis

Quà Sol occidit: hinc vbi iugales
Iungit, Sequanico lauatur amne.
Hac in planitie & patente campo
Sita est villula nostra, non superbis
Constructa ædibus aureísque tectis:
Sed sortem vt decuit meam, modestis.
Hanc iuxta est aditus patens ad illam,
Hinc illinc patulus opertus vlmis:
Hinc & inde satis virente prato.
Ad cœnacula se videndus offert
Planus hortulus, haud inelleganter
Structus, sed topiaria arte quadam.
Peristromata fabrefacta buxo,
Permista omnigenûm colore florum,
Aspectum retinent; iacéntque passim
Strata, humi viridaria, hac & illac,
Nec pomaria nec fruteta desunt.
Est & porticus arcuata, ramis
Vlmorum, & folijs tenebricosa,
Quæ Phœbi à radiis inambulantes
Securos tegit imbribúsque tutos.
Sed portis tamen & patens fenestris
Quà Sol non radiat vibrátque flammas,
Ne te frigida humus sitúsve lædant.
Sunt & præterea ambulacra tersa,
Tonsis sepibus hinc & inde cincta

Murorum in faciem, casæq; tectæ
Ornatæq; abacis sedilibúsque:
Vbi carmina nunc Horatiana
Iuuat perlegere aut Maroniana,
Vel tua haud veterum secunda scriptis.
Est iuxtà nemus atque opaca sylua,
Tota ad funiculum vndiquáque ductis
Consita arboribus, viísque circùm
Atque amfractibus ambulationum;
Hîc cantus volucrum libet suaues
Audire & gemitus, eisque furtim
Moliri insidias, iuuat videre
Visco aut reticulis plagisve captas.
Inde ad planitiem virénsque pratum
Quod vlmi & salices nucésque cingunt
Gratus est aditus, locus palæstras
Graiorum referens, idoneúsque:
Seu iactu lapidis grauisque disci;
Vel pugnare velis athleta campo:
Seu certamen erit datúmque pignus,
Quis saltu queat aut præire cursu.
Oblectétve magis pila acta longè,
Aut pugno placeat petisse follem,
Pulsare aut globulos iuuet rotantes
Longo malleolo & bonis lacertis.
Extrà septa dehinc videre fas est

Agri iugera multa, queis licebit,
Si non deficiunt canes, aperto
Sectari lepores au:sque campo.
Longos prospiciens agros horizon
Dat circum egregias videre villas
Quas inter caput extulit superbum
Verduni eximiis domus columnis,
Tantò digna viro. Haud procul videre est;
Quà se Matrona confluentis alueo
Addit Sequanico, prealta tecta,
Et prætoria porticúsque celsus
Insignis Domini, vir ille summus
Vbi consilia alta de tuenda
Inter finitimos domique pace
Verdunúsque ineunt. Patet subinde
Ad nostræ oppositum elegans nitensque
Marcelli noua villa. Nec silendum
Castrum Sammorium Vidocinúmque:
Quæ si cuncta libet, iuuátque adire,
Vector semper adest, adest carina,
Nec carruca opus est. Sed & licebit
Circùm littora fluminisque ripas
Hamo fallere lineáque pisces.
Sic me villula distinet beatum,
Inter sollicitas grauésque curas;
Nunc dum curia feriatur, atque

Grato nos sinit otio fruisci,
Tantispérque licet vacare Musis.
Ergo chare mihi, rogo venito:
Borboni, precor huc precor venito:
Huc te Vitriacæ vocant Camœnæ.
Sed tecum aduehito mihi Guerinum:
Legum ænigmata, quæ solet, parumper
Mittat soluere, iuriúmque nodos.
Duc & auspicijs Orelianum
Ah! dignum melioribus: suis det
Scriptis inducias laboriosis,
Et Musæ hic cytharam ferat iocosæ,
Túque Apollineum fer ipse plectrum.
Hîc noster Pino te tuus alumnus
Lætus accipiet, recens ab oris
Germanis, Italísque, Belgicísque:
Et vt plurima narrat, ille dicet,
Quanti te faciant tuósque versus
Germani, atque Itali, incolæq; Scaldis,
Quidquid estque hominum eruditiorum.
Sed quid ni hos faciant puténtque magni,
Quando Gallia mater vna vatum
Primi dat tibi lauream poëtæ?

Hieronymo Magistro Senat. Parif. æquinoctij die ad maiora subsellia vocato,

VOTVM.

TOt qui nomina principum Senatus
Gestas, spes quoque sustines auorum:
(Quod faustum fiet) ecce vere primo
Sole intrante domum æquinoctialem,
Te maiora vocant patres verendi
Ad subsellia, gestiúntque sacris
Complecti gremijs, sinúsque pandunt.
Sic cursum renouans, reuersus vt Sol
Noctes iam propior diebus æquat:
Illic sospite perfruaris æuo,
Tam longo vt licuit frui sci apud nos
Octonos iterum quater per annos:
Addántque hanc superi tibi æquitatem
Vt æquissimus omnibus fuisti.

De Ambosia obside pacis data.

DVm rex Condæúsque agitarent fœdera pacis:
Ambosiæ in vultu fixit vterque oculos.
Tantus amor pulchræ subsedit vtrique puellæ:
Vt patriæ exitij caussa futura foret.

Tum

Tum princeps supplex dixit: ne quæso negaris
Agnato hanc vnam, rex generose, tuo.
Mille tibi tales Ligerino in flumine Nymphæ:
Sunt & Sequanico littore mille deæ.
Rex victus precibus, dono, inquit: & illicò fœdus
Percussum: & Francis pax stupefacta redit.
Sis dea nunc, tanto Francos quæ munere donas
Ambosia, ambrosia tu modo digna frui.
Vrbs quondam fueras magno famosa tumultu:
Nunc pace insigni nobilitanda venis.

Iani Bonefonij tumulus.

ADsta viator paululùm, ac ne præteri
Manes piorum, tu nisi impius sies.
Teguntur isto conditi sub marmore
Magni Bonefi capsula cineres breui.
Si nescis illum, scire te nihil quoque
Par est decoris, & leporis, & salis,
Et gratiarum: quidquid & Phœbus docet
Charos alumnos: quidquid & chorus nouem
Stillat sororum paruulis infantulis.
Namque hic Bonefus carminis venustulis
Mollis phaleuci singularis artifex,
Sic eruditè, sic venustè concinit,
Sic eleganter cuncta, sic dilucidè:
Vt eruditis eruditius nihil

Quidquam putetur, nil disertis dulcius,
Denique quibusuis auribus iucundius.
Ergo inficetus ruris & plenus, nisi
Musis abhorres, hos pios manes cole
Barriq́, numen, ille cuius innocens
Tenuit tribunal: quæq́; claret oßibus
Eius verendis: nec superbit his minus
Maroniana quam Neapolis fouens.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 6. in carmine lin. 23. ad ipsum, delenda est virgula.
Pag. 6. cælo, li. 12. virgula est pro puncto.
Pag. 16. decuit: delendum est comma.
Pag. 26. li. 13. comededa pro comedenda.
Pag. 30. li. 7. magno pro magna.
Pag. 35. li. 17. 21. & pag. 36. li. 5. nouiluuia pro nouilunia.
Pag. 21. li. 3. in annot. oritur pro oriretur.
Pag. 31. li. 17. proximo pro proximè.
Pag. 34. li. 28. 1. pro i. vel, id est.
Pag. 38. li. 3. Quida pro Quidam.
Pag. 40. li. 22. die pro diei.
Pag. 49. li. 21. procedente &, pro procedentes.
Pag. 56. li. 28. 3617. pro 2617.
Pag. 28. li. 19. 3515. pro 4515.
Pag. 64. li. 4. indictionibus pro indictionis.
Pag 66. li. 3. hebdomoda pro hebdomada.
Pag. 75. li. 7. Dion pro Dio.
Pag. 131. li. 16. tristitias pro tristitia.
Pag. eadem li. 19. vberu pro vberes.
Pag. eadem li. 20. mæstitiæ pro mæstitias.
Pag 141. li. 21. cursn pro cursu.
Pag. 143. li. 12. hic pro huc.



INDEX
ANNOTATIONVM LIBELLI
De Anno Romano.

A

Sicut odoratam non lædunt frigora pinum
Nec folijs vnquam dispoliauit hyems:
Vere nouo semper flores, & laude recenti,
Inque dies maior crescis in ore virûm.
Seu tua te pietas, seu te facundia, seu te
Commendet Themidis iustus in æde tenor.
Pinus ut æthereas se vertice tollit ad auras,
Spernit & abiectum vecta per astra solum:
Sic tu, sic fama notus super æthera, Pino,
Despicis humanas natus ad alta plagas.
Describis radio mundum, tu Dædalus alter
Contemplator adis in penetrale Iouem.
Non fugit Empyrij te arcana choræa Pyropi,
Nec quæ dispositus fœdera mundus habet,
Terræq; tractúsque maris, cœlúmque profundum,
Ludicra sunt cytharæ pægmata, Pino, tuæ:
Vnde opus æternis flatum venerabile seclis
Threiciæ ornandum munere, Pino, chelis.
Sic tu non Pino, sed Pytho dicier omni
Et potes & poteris tempus in omne loco:
Placatura Deos, vt pinus thura ministrat:
Sic mulces hymni carmine Pino Deum.
Sic & non proprij contentus sorte penatis,
Ædificas alij templa dicata lari.
Hospitij magna struxisti in parte sacellum,
Quo sacris perpetuo myrrháque thúsque calent.
Et bene;

Et bene; nam vt Pinum Iouis olim mater amabat
Eſt tibi non ficti mater amica Iouis.

Iacobi Pinonis ad Ludouicum Nau Nauis.

DVm canis excelſam Phœbæo in vertice pinum
Ludit & in noſtro nomine docta chelis,
Arboris eximiæ laudes agnoſco: ſupérque
Nectareas addo quas gerit illa nuces.
At mihi non talis debetur gloria: verùm
Laudi erit æternùm laus mihi dicta tibi.
Nomine & in noſtro ſi quod prætenditur omen:
Nomina pars noſtri ſunt tua, & omen idem.
Sed tua præcellunt tantum, quantum arbore nauis
Dignior, ex pinus arbore facta licet.
Nauis nomen habes· pinus mihi nomen habetur,
Eſt mihi materies, ſed tibi ceſsit opus.
Nauis habet lignum quod pinus præbet: at vltrà
Continet hæc pinum qui ſeruère viros.
Quando hominum pecudumq́; genus Deus obruit vndis,
Relliquias horum protegit vna ratis.
Delectos Graiûm heroas in Colchida vexit

Argo, & virtutis præmia digna dedit.
Alta petit pinus: petit ardua nauis, & altum
Æquor, & insuetas audet inire vias.
Pinus fronde viret semper: tamen interit annis,
Sæpius & ventis fulminibúsq; perit.
At fluctus solet, & ventos contemnere puppis,
Nec minus æquoreis nauita fertur aquis.
Si tamen obruitur, tabulas legit institor, atque
Mox reficit quassam, fitq; eadem ipsa ratis.
Pinus odorifera est: Syrium sed nauis amomum
Balsamáque & myrrham thura Sabæa vehit.
Fert pinus suaues fructus: ratis aduehit illos
Quidquid & humani delicium est generis.
Dilexit pinus Diuûm Berecynthia mater,
Montibus Idæis verticibúsque satas:
Non tamen esse deas voluit, Troiana priusquam
Ex illis fieret classis, & alta petat.
Nauibus asportantur opes, gaza Indica, gemmæ,
Et spolia è populis eruta barbaricis.
Hinc nauem excusam regale nomisma gerebat
Iane, peregrinas cum prior addis opes.
Hanc quoque pro scuto insigniq; Lutetia sumpsit,
Iam Roma ingeniis clarior atque opibus.
I, felix igitur nauis, flatúque secundo
Sic Latias nobis aduehe semper opes.

De sua villa,

Ad Nicolaum Borbonium P. R.

HÆc incondita fert Manellus ad te,
Borboni, vt venias, rogo venito,
Ad cœnam modicam, dapésque paucas.
Non rhombus tibi vel scarus paratur:
Non phases etiam, nec ortolani:
Tam molles epulas cupediásque,
Nostra haud rura ferunt: dapes inemptæ
Nobis sufficiunt, pusilla præbet
Nostra villula quæ satis superque:
Villa Vitriaco sedens in agro,
Pago illo celebri; at magis celebri
Mænardi egregio & suaue cantu.
Magni qui fuit Hospitalis olim
Secessus, strepitus vbi forenses
Vitans carmina tam polita fudit.
Nec villam, licet est pusilla, nostram
Borboni precor æstimato parui,
Hancque inuisere ne graueris, audi.
Extra mœnia rusticásque sedes
Lata est planities patensque campus,
Illum vitifer ambit inde collis

Quà Sol occidit: hinc vbi iugales
Iungit, Sequanico lauatur amne.
Hac in planitie & patente campo
Sita est villula nostra, non superbis
Constructa ædibus aureísque tectis:
Sed sortem vt decuit meam, modestis.
Hanc iuxta est aditus patens ad illam,
Hinc illinc patulus opertus vlmis:
Hinc & inde satis virente prato.
Ad cœnacula se videndus offert
Planus hortulus, haud ineleganter
Structus, sed topiaria arte quadam.
Peristromata fabrefacta buxo,
Permista omnigenûm colore florum,
Aspectum retinent; iacéntque passim
Strata, humi viridaria, hac & illac,
Nec pomaria nec fruteta desunt.
Est & porticus arcuata, ramis
Vlmorum, & folijs tenebricosa,
Quæ Phœbi à radijs inambulantes
Securos tegit imbribúsque tutos.
Sed portis tamen & patens fenestris
Quà Sol non radiat vibrátque flammas,
Ne te frigida humus sitúsve lædant.
Sunt & prætereà ambulacra tersa,
Tonsis sepibus hinc & inde cincta

Murorum in faciem, casæq; tectæ
Ornatæq; abacis sedilibúsque:
Vbi carmina nunc Horatiana
Iuuat perlegere aut Maroniana,
Vel tua haud veterum secunda scriptis.
Est iuxtà nemus atque opaca sylua,
Tota ad funiculum vndiquáque ductis
Consita arboribus, viísque circùm
Atque amfractibus ambulationum:
Hîc cantus volucrum libet suaues
Audire & gemitus, eísque furtim
Moliri insidias, iuuat videre
Visco aut reticulis plagisve captas.
Inde ad planitiem virénsque pratum
Quod vlmi & salices nucésque cingunt
Gratus est aditus, locus palæstras
Graiorum referens, idoneúsque:
Seu iactu lapidis grauisque disci,
Vel pugnare velis athleta campo:
Seu certamen erit datúmque pignus,
Quis saltu queat aut præire cursu.
Oblectétve magis pila acta longè,
Aut pugno placeat petisse follem,
Pulsare aut globulos iuuet rotantes
Longo malleolo & bonis lacertis.
Extrà septa dehinc videre fas est

Grato nos sinit otio fruisci,
Tantisperque licet vacare Musis.
Ergo chare mihi, rogo venito:
Borboni, precor huc precor venito:
Huc te Vitriacæ vocant Camœnæ.
Sed tecum aduehito mihi Guerinum:
Legum ænigmata, quæ solet, parumper
Mittat soluere, iuriúmque nodos.
Duc & auspicijs Orelianum
Ah! dignum melioribus: suis det
Scriptis inducias laboriosis,
Et Musæ hic cytharam ferat iocosæ.
Túque Apollineum fer ipse plectrum.
Hîc noster Pino te tuus alumnus
Lætus accipiet, recens ab oris
Germanis, Italisque, Belgicisque:
Et vt plurima narrat, ille dicet,
Quanti te faciant tuósque versus
Germani, atque Itali, incolæq; Scaldis,
Quidquid estque hominum eruditiorum.
Sed quid ni hos faciant putentque magni,
Quando Gallia mater vna vatum
Primi dat tibi lauream poëtæ?

Hieronymo Magistro Senat. Paris. æquinoctij die ad maiora subsellia vocato,

VOTVM.

Tot qui nomina principum Senatus
Gestas, spes quoque sustines auorum:
(Quod faustum siet) ecce vere primo
Sole intrante domum æquinoctialem,
Te maiora vocant patres verendi
Ad subsellia, gestiúntque sacris
Complecti gremijs, sinúsque pandunt.
Sic cursum renouans, reuersus vt Sol
Noctes iam propior diebus æquat:
Illic sospite perfruaris æuo,
Tam longo vt licuit frui sci apud nos
Octonos iterum quater per annos:
Addántque hanc superi tibi æquitatem
Vt æquissimus omnibus fuisti.

De Ambosia obside pacis data.

Dum rex Condæúsque agitarent fœdera pacis:
Ambosiæ in vultu fixit vterque oculos.
Tantus amor pulchræ subsedit vtrique puellæ:
Vt patriæ exitij caussa futura foret.

Tum

Tum princeps supplex dixit: ne quæso negaris
Agnato hanc vnam, rex generose, tuo.
Mille tibi tales Ligerino in flumine Nymphæ:
Sunt & Sequanico littore mille deæ.
Rex victus precibus, dono, inquit: & illicò fœdus
Percussum: & Francis pax stupefacta redit.
Sis dea nunc, tanto Francos quæ munere donas
Ambosia, ambrosia tu modo digna frui.
Vrbs quondam fueras magno famosa tumultu:
Nunc pace insigni nobilitanda venis.

Iani Bonefonij tumulus.

ADsta viator paululùm, ac ne præteri
Manes piorum, tu nisi impius sies.
Teguntur isto conditi sub marmore
Magni Bonefi capsula cineres breui.
Si nescis illum, scire te nihil quoque
Par est decoris, & leporis, & salis,
Et gratiarum: quidquid & Phœbus docet
Charos alumnos: quidquid & chorus nouem
Stillat sororum paruulis infantulis.
Namque hic Bonefus carminis venustulis,
Mollis phaleuci singularis artifex,
Sic eruditè, sic venustè concinit,
Sic eleganter cuncta, sic dilucidè:
Vt eruditis eruditius nihil

Quidquam putetur, nil disertis dulcius,
Denique quibusuis auribus iucundius.
Ergo inficetus ruris & plenus, nisi
Musis abhorres, hos pios manes cole
Barriq́, numen, ille cuius innocens
Tenuit tribunal: quæq́; claret oßibus
Eius verendis: nec superbit his minus
Maroniana quam Neapolis fouens.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 6. in carmine lin. 23. ad ipsum, delenda est virgula.
Pag. 6. cælo, li. 12. virgula est pro puncto.
Pag. 16. decuit: delendum est comma.
Pag. 26. li. 13. comededa pro comedenda.
Pag. 30. li. 7. magno pro magna.
Pag. 35. li. 17. 21. & pag. 36. li. 5. nouiluuia pro nouilunia.
Pag. 21. li. 3. in annot. oritur pro oriretur.
Pag. 31. li. 17. proximo pro proximè.
Pag. 34. li. 28. 1. pro i. vel, id est.
Pag. 38. li. 3. Quida pro Quidam.
Pag. 40. li. 22. die pro diei.
Pag. 49. li. 21. procedente &, pro procedentes.
Pag. 56. li. 28. 3617. pro 2617.
Pag. 28. li. 19. 3515. pro 4515.
Pag. 64. li. 4. indictionibus pro indictionis.
Pag 66. li. 3. hebdomoda pro hebdomade.
Pag. 75. li. 7. Dion pro Dio.
Pag. 131. li. 16. tristitias pro tristitia.
Pag. eadem li. 19. vberu pro vberes.
Pag. eadem li. 20. mæstitiæ pro mæstitias.
Pag 141. li. 21. cursu pro cursu.
Pag. 143. li. 12. hic pro huc.



INDEX
ANNOTATIONVM LIBELLI
De Anno Romano.

A

FINIS.

